


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
Hielmsl. 2091 A. 4<sup>r</sup> [35-154]





Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 2091 A 4° [35, 154]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 2091 A 4° [35, 154]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
Hielmst. 2091 A 4<sup>r</sup> [35,154]

DA BOX

Nº 2091a.




 BIBLIOTHECA  
REGIA  
HAFNIENSIS









De laudibus

ELISABETHÆ

CIMBRICÆ

*Mag.º ex nobilissimo dnº Joachimo Bassenitio  
Consiliario mchij regis Danorum, et  
M. d. l. j. B. E. Regapoli  
amico pl. obs.*

JOANNIS CASELII



*Joannes Caselius.*

ROSTOCHII

Excudebat Stephanus Myliander.

ANNO


CIO IO XXCVI.

*Veneroso et nobili viro Petro Rantzovio  
mittit Joachimus Bassenitz*



Τίς ἀνδριάντα τούτων εἶπε καὶ λόγον,  
ἢ ποῦδε κείνον ἄνευ εἶναι βελτίω;  
καὶ γὰρ κηλοσσὸν ἡλίον τὸν ἐν κύπελλῳ,  
σῶσι' αὐτὸς εἶδεν ἀλλαχού' Λυγκεὺς πάλαι;  
σῶσι' εἶπεν αὐτῷ νῦν κόνιν δέξαι μίαν.  
δέλτα δὲ μικρὰ, κωλίγη μία σελίς  
πρὸς πη παπίη κλίμα πᾶν μακρῶς χθονός,  
σῶσι' ἄχετ' αὐτῆς δοῦσαι ἢ κρημοδοσι φῶς.

Λωδύνης (ἡ) ἰ





DE LAVDIBVS  
ELISABETHÆ  
CIMBRICÆ

LIBER .

IOANNIS CASELII.

**Q**VI præstantium virorum, & cum primis regum reginarumq; laudes publicè prædicant, rem meo iudicio periculi plenam aggrediuntur. Multiplices enim hominum censuras eos subire necesse est. Quod si forte eueniat, ut placeant, non solum hoc officio egregiè functos fuisse, sed etiam felices existimari. Quotus enim quisq; ita rectè facit omnia, aut dicit, quin in plurimum reprehensionem incurrat? Alij namq; in hoc genere nimij esse videantur, dum laudandi modum non faciunt, alij admodum ie-

A 2

iuni,

iuni, dum factis aquare verba nequeunt:  
quorum illud vel vanitatis sit vel assentatio-  
nis, hoc stultitiæ & imperitiæ dicendi. Pa-  
rum enim profecto ille sapiat, qui qua in re  
parum versatus sit, & non multum valeat,  
eam rem confidenter in se suscipiat. Nec  
vero graui viro dignum est, aut ea dicere,  
quæ nulla sint, aut res minutas oratione extol-  
lere, ut gratiam ineas, vel commodum aucu-  
peris. Nec eos audio, qui in funere lauda-  
re prolixius licere semper existimatum di-  
cant, quòd tum inuidia vel penitus sublata,  
vel quasi aliquamdiu sopita, casibus hu-  
manis, licet antiè duri & iniqui, homines fa-  
cile afficiantur. Largiemur hanc licentiam  
aliis: quod tamen, nisi fallor, addictis studio  
sapientiæ, cuius dux est non solum in senten-  
tia, sed etiam in dictis factisque veritas, haud  
quaquam licere iudicium. Quin si qui aliter senti-  
ant, quod non existimem; mihi hoc licere  
numquam volui, neque posthac velim. Itaque pau-  
cos ipse laudam, neque quemquam nisi de iudi-  
cio meo. Aliquando, fateor, officij ratio hoc  
postu-

postulavit, ut benè de hominum genere meri-  
tis, hoc gratia vel meo vel publico nomine re-  
penderem; ut nunc quoq; eadem postulat:  
neq; tamen tunc abij à iudicio meo: quin hoc  
idem hic quoq; non minus sequor. Neq; enim  
à voluntate discedit, qui officij rationem ha-  
bet, & sententiam amicorum, recta monen-  
tium, sequitur, cum faciat, quod velle debeat,  
velutq; maximè. Placuit enim etiam amicis,  
quorum auctoritatem libenter sequor, viro-  
rum dignitate, sapientia & doctrina præ-  
stantium, ut illustrissima fœmina, ELI-  
SABETHÆ, principis Megapolitana  
laudes conscriberem. Earum enim com-  
memorationem non solum propinquis gra-  
tam esse futuram, sed vim etiam aliquam  
consolandi habituram in hoc recenti luctu,  
tum alij aiebant, tum ipse quoq; suspicabar.  
Bonis igitur auctoribus morem gerens, non  
minus facio, quod & partium mearum esse  
intelligebam, et ultro eram factururus. Nam  
sive ex hac nostra oratione, sive ex aliorum  
monumentis, (certum enim quidem, qualia  
A3 atatem

etatem ferant, incertum tamen, quorum  
vitiaciora futura sint) & ipsa princeps  
optima premium sue virtutis nanciscetur  
ad longinquas gentes & omnem posterita-  
tem, et habebunt regum & ducum filia exem-  
plar, quod intueantur cum admiratione,  
ac semper ad vitium moribus vitæq; repræ-  
sentent, ut & ipsa bene beateq; vitam a-  
gant, & similiter gloriam sempiternam con-  
sequantur. Insistam autem vestigijs di-  
fertorum etiam hominum, qui huius generis  
laudationes condiderunt, nec obruam si-  
lentio vllum è ceteris bonis, quæ per se me-  
liores non faciunt. Neutrum enim me  
fugit, & hæc, quæ propria nostra sunt, ani-  
miq; bona appellantur, vera argumenta no-  
bis ad laudandum suppeditare; & altera  
tum corporis tum externa, cum sæpe in hæc  
utraq; habeat imperium fortuna & sua  
lenitate & impetu conturbet & euertat,  
sola solida commendationis nemini quic-  
quam adferre apud intelligentes. Ad vul-  
gus enim non respicimus, quod meliorum mi-  
nime

nimè intelligens, sensibus obuersantia, maxi-  
mè solaq; admiratur. Verum hæc tamen  
ipsa, quæ sunt interdum, quasi instrumenta  
improbitalis, flagitiosis & nefarijs; in bo-  
nos verosq; usus, (in bonos enim natura de-  
stinata existimari debent) si quis vertat ac-  
curatè, laudes suas ille non parum illustra-  
uerit. Non ille iam nobilis audiet à vul-  
go, non robustus, non pulcher, non opulen-  
tus, non potens, sed à bonis, nobili, robusto,  
pulchro, opulento, potenti, præstantior præ-  
dicabitur. Reuera enim præstantia vir-  
tutis in eo est, qui imaginibus maiorum,  
qui viribus, qui specie, qui diuitijs, qui poten-  
tia rectè vitur. In his namque omnibus  
etiam virtus vim suam exercet quotidie, &  
admirabiliter exerit. Genus autem oc-  
currit inprimis. Quid dicam igitur de  
huius heroïnæ maioribus? Genus sum-  
mum est, nisi quid altius regio existimetur.  
Nec attinet tamen illos recensere omnes  
ordine, & singulorum res gestas explica-  
re. Alienum enim hoc foret à proposito,  
& hi.



Et historia potius, quam instituta laudationis. Accedit, quod in his regnis provinciisque vicinioribus nemo est, quin hac ipsa memoriter teneat: tamen ne quid in nobis desideret curiosior, Et hac cognoscat etiam si quis forte legat longè gentium, nominatum recensebo huius maiorumque, etatis agnatos proximos, cum plerique sint priscis illis heroibus pares, quibus fortasse plus opinionis vetustas addidit. De quibus autem qua nunc dicam, sunt in memoria hominum, Et pleraque testimonio superstitem confirmantur, ut ego ipsa non tam nova docere adolescentiores videar, quam nota adultioribus ostendere: nec velim ab illis mihi fidem haberi, quam hi non fulciant sua approbatione. CHRISTIANVS primus, ELISABETHÆ Cimbrica auus est. Rex ille erat Danorum potentissimus: cui cum plurimum debeant bona littera, nominari primus etiam Et celebrari cum primis hic à me debuit. Quod si negligam, iratas ego mihi grauer Musas habeam, iratum etiam Apolli-

*Apollinem. Sinistrè enim de me docti viri,  
nec iniuria sentiant, qui quid initio conueni-  
at, ignorem, aut, si forte hoc me non fu-  
giat, ingratiè præteream. Hac est enim ve-  
ra propriaq; huius optimi principis laus,  
qua omnes omnibus ante ipsum sæculis reges  
Danie non abundarunt: quòd etsi eorum  
quidam fauerunt bonis litteris, (neq; enim  
aliter existimandum est, quod & probari  
facile potest) hic tamen primus Hafnia,  
quod amplissimum & nobilissimum ultra  
mare hoc nostrum, siue quis Balbicum siue  
orientale nominet, emporium est, scholam  
regiam sapienter & munificè condidit, qua  
esset ad vltimum boream sapientie, virtutis  
& pietatis officina: doctores omnium parti-  
um bonæ doctrinæ inuestigatos ex alijs etiam  
gentibus iuuentuti præfecit: mercedes ijsdem  
liberaliter constituit: discipulis spem præ-  
miorum certam fecit: deniq; nihil prætermi-  
sit, quæ à tam sacra rei fundatore illa ætate,  
qua aurora doctrinæ ex multorum sæculo-  
rum interuallo, quibus illa occiderat, se pri-  
mum*

*B*

*mum*

mum orbi terrarum ostendere caperat, exspe-  
ctari poterat. Hoc autem è ceteris illius re-  
gis factis prorsus regium, vel ex omnibus re-  
gis singulare prorsusq; diuinum, mihi solum  
referre libuit, quod, ut dixi, sine scelere me  
praterire non posse arbitrabar. Forte quis  
existimet, ipsum non leuiter in hoc consilio fu-  
isse confirmatum, cum prouecta etiam atate,  
& omnem Germaniam, Italiam quodq; per-  
lustrarit, & Romam etiam uiserit. Qui  
enim uel bonis litteris exculti, uel usu rerum  
eruditi, remotissimas à patria terras adeunt;  
et nouis consilijs salutaribus animum instru-  
unt, & in ueteribus mirifice confirmant.  
Ceterum hic rex potentissimus & optimus  
duos filios suscepit è DOROTHEA  
IOANNIS septemuiri Brandenburgensis  
filia, quam in matrimonio habuerat CHRIS-  
TOPHORVS Palatinus, qui & ipse  
rex Dania fuerat, IOANNEM &  
FRIDERICVM. Sed iam hanc ue-  
niam peto, ut nonnihil à proposito mihi di-  
gredi liceat. Sic enim paulò post commodi-  
us pro-

us proximè coherentia superioribus anne-  
temus. Successit in regnis patri, ut erat  
consentaneum, natu maior IOANNES,  
anno ab hinc quarto & centesimo. Hic,  
ut multa in pauca conferam, cum Suecis bel-  
lum gessit, cumq; regnasset in Dania annos  
quindecim, Sueciam sibi subiecisse, aut certè  
Suecorum vires minuisse visus fuit: aduer-  
sus civitatem Lubecensem, quòd commer-  
cia cum Suecis non intermitterent, multa i-  
nitio hostiliter egit, tamen se illis Cardinale  
RAIMUNDO, fratre FRIDERI-  
co, & MAGno duce Megapolitano aucto-  
ribus, placari passus fuit certis conditioni-  
bus, quamq; hac pacificatio vix firmi quidq;  
habuit. Cum imperasset annos triginta du-  
os, regna filio reliquit, multo asperiori do-  
mino. Is erat quidem optimi nominis se-  
cundus, sed animo non item bono, factis mi-  
nimè regijs. Ut enim taceam alias iniurias,  
nihil minus erat dignum principè, quàm  
quod Holmie designavit. Ibi enim cum dia-  
dema regiũ accepit, conuiuas regifico appara-

B 2

tu ac-

tu acceptos crudeliter obruncauit. Quid igitur mirum, si successus habuit minimè secundos? Se enim, coniugem, & liberos in extremas calamitates precipites dedit. Quid autem in ipsum grauius statui potuit, quam quod ipse statuit? Suos ipse primum fugere, se suis regnis exuere, & veluti ex fuga retractum ultro in perpetuum carcerem compingere. Nimirum, qui hoc agat se ipsum fugiat, si possit, quem tamen fugere non possit. Nam ubicunq; quis sit non solum se in vinculis, sed etiam si longe gentium velut liber absq; metu, improbus aut nefarius; sua ipsorum conscientia constricti tenentur, qui testimonium in eos dicit locuples, & grauisimè eos accusat. Id huic euenit, qui multorum annorum exilio, plurium carcere, omnium culpa periit. Sed iam tempus est, ut ad huius patriam reuertamur. FRIDERICVS autem neq; initio sperabat imperium, neq; deinceps affectabat, certis contentus Holsatiæ provincijs, suaq; parte satis beatus ipse sibi visus. Boni enim principes iniuria

iuria sibi regnum non emant: sed cum in  
omnibus aliis, tum in hoc maximè pietatem  
colant: contra, quàm tyranni solent, qui hoc  
nomine iniuriam facere, leue existimant, si in  
aliis pietatem colant: quasi pietas, cum hac  
omnium grauissima iniuria coniuncta, aut  
ulla sit, aut cogitari possit. Cum ab huius  
criminis suspitione longissimè abesset FR I  
D E R I C V S, rebus Danicis fluctuantibus,  
& supra modum perturbatis, ab hoc ipso sa  
lulem exspectabant & flagitabant Dano  
rum proceres, et omnis pene Dania Nam  
regnorum partem minimam tenebat exul, si  
hoc tenere est, vi occupare, cum nullius ciui  
um, aut vix cuiusquam beneuolentia. Vi  
debant enim in FR I D E R I C O optatam  
probitatem, industriam rei militaris, & con  
siliij copiam, quibus tali tempestate maximè  
opus esset: neq; quidquam agebant, quod non  
optimo iure agerent. Prater enim quàm  
quod à cervicibus exitium depellere, omnium  
gentium perpetua conspiratione iustum esse  
iudicatur, neq; secus aliquis sentiat, nisi qui  
B3. omnem:

omnem humanitatem ita exuerit, ut non solum in aliorum, sed in suam quoque perniciem iurasse videatur; hac insuper ratio est à memoria hominum regni florentissimi, ut quo iure rex ab optimatibus creatur (sunt enim hi regni veluti anima, & ipsius veluti sui vita regis) de quo optima spes sit, ita si spem ille et datam fidem fefellerit, eodem iure ab iisdem legitimè deponatur, ut qui talis sit, sibi iniuriam fuisse factam, ne queri quidem possit, nec qui ei succedat, de facta alteri iniuria in suspicionem veniat, neque apud ipsos, neque apud externos. Regnum enim sua vi, immo suo iure excutit eum, qui rex esse desierit, & alterum recipit, qui rex esse possit, semperque futurus esse speretur. Quod cum de FR Iderico sibi, neque falso sanè (id res ipsa deinceps docuit) pollicerentur; in regnum, ab altero iam quoque violatum, atque etiam metu desertum; eum ex Holsatia ad imperium accersunt: aduenienti omnes statim cedunt, ferentique iustitiam et pacem, omnes se subiiciunt, ut liberi. Itaque reliquis belli siue tumultus deletis & ipse quoque

quoq; regni insignia solenni inauguratione  
accipit. Dicam uno verbo: regnum istud  
FRIDERICUS è tempestate maxima tuto in  
portum collocavit: atq; rex verè habitus fuit  
ab omnibus, et visus omnibus, id est omnium  
pater, quo supervixit decennio. Suscepit libe-  
ros ex ANNA, IOANNIS septemviri Bran-  
deburgensis filia, CHRISTIANUM et DORO-  
THEAM: quorum hæc nupta fuit ALBERTO duci  
Borussorum. Nam de CHRISTIANO, eiusq;  
posteris post iterum dicemus, re ipsa explica-  
tionem eam postulante. Sed idem rex optimus  
et alteram coniugem duxit, SOPHIAM ma-  
gni BOGISLAI filiam. Fuit enim ille BOGISLA-  
US decimus, dux Pomerania, multis equi-  
dem nominibus magnus: non, quòd is status  
persona fuit, ut memoratur, aut quòd amplis  
populis imperavit, aut quòd aetatem imperi-  
um in patria solus gessit: quæ tamen in con-  
temptis rebus nemo habet: sed quòd bellum  
gessit aduersus insuauem vicinum, AL-  
BERTUM Marchionem, principem potent-  
issimum, quem ob res bellicas Achillem  
Ger-



Germanicum nominarunt, tantiq; hostis im-  
petum sustinuit, suosq; feliciter conseruauit:  
quod latrocinia, belli infaustam sobolem, de-  
inde sustulit: quod intestinos motus compe-  
scuit: quod ius suis aequum dixit, & perpetu-  
um iudicium constituit, quasi iustitiae ad eam  
dedicaret: quod in Palaestinam uer suscepit,  
ubi et Turcis terrori fuit: quod Academiam  
suam doctissimis uiris ex Italia usq; accitis,  
auxit: quod saluti fuit uniuersae Pomeraniae  
ipso anno quinquaginta: quod florentes li-  
beros reliquit: quae omnia quis non cupiat co-  
gnoscere? quae tamen hic perstringere uix li-  
cuit, quod nihilominus nobis sumpsimus.  
Huius tanti principis filia, tres filios, toti-  
demq; filias, regi FRIDERICO peperit: in filia-  
bus primam ELISABETHAM, ad cuius lau-  
des haec omnis dirigitur oratio. Erant ELI-  
sabethae germani fratres IOANNES, ADOL-  
PHUS, & FRIDERICUS: germanae HAGNE  
& DOROthea. His omnibus superstes fu-  
it ELISABETHA, etsi omnibus superstitem ra-  
ta fratrem ADOLPHUM. Fuit hic A-  
DOL-

*DOLphus belli studiis et pacis aequè deditus,  
Et utriusq; cum primis Germaniæ ducibus  
clarus: IOANNE Sotij amans, Et rei  
familiaris ita studiosus, ut Et bonus prin-  
ceps Et bonus simul paterfamilias ha-  
beretur, vixit cœlebs, tum quia conquire-  
bat omnia, quibus quietem optatam aleret,  
tum ut consulere familia dignitati: quam  
paucis annis, multis auctam principibus cer-  
neret. Incredibile semper fuit apud Germa-  
nos hoc studium conseruanda dignitatis in il-  
lustribus familijs: quamobrem etiam plures  
sacerdotia adepti ad fastigium ciuilibus vitæ  
non aspirarunt. Exemplo est Et minimus  
natus horum fratrum, FR Idericus. Hic e-  
nim pontificatum Hildesiensem, paucos an-  
nos tamen, gessit, adolescens vita functus an-  
no abhinc vigesimo. Sororum alteri lucis u-  
sura non diu fuit: DOROthea apud ELI-  
sabetham vixit, (germanè enim se sorores a-  
mabant) donec nupsit duci CHR Istoporo,  
ducis nostri Vlrici, optimi principis, fratri:  
sed paucis admodum annis superstes fuit:*

*C eiusq;*

eiusq; exuvia anno abhinc octavo Gustavo  
uij, in suo monumento condidit. Quam  
enim unice amasset, ad eius latus, vita hac  
functa cubare voluit: cuius rei sensus, etsi  
tum ad neutram pertineret, tamen ad po-  
steritatem indicio esset, quam sincero in-  
ter se amore fuissent complexa. Lau-  
dauit eam in funere David Chytraeus, suisq;  
eam laudibus affecit, ut grauem theolo-  
gum, & omni doctrina genere, & dicendi  
eximia facultate instructum, decebat: ci-  
demq; nos etiam elogium scripsimus. Elu-  
cebant profecto in ea, modestia in omni vi-  
ta, & in deum pietas, virtutum regiarum  
matronalium testes atq; principes. Haec enim  
tanta sunt, ut in quibus extent, ne de ijs vel  
minimum sinistre suspicandi, etiam maleuolis,  
aliquid relinquunt loci. Dum autem haec re-  
fero, videor etiam mihi principem ELIsabe-  
tham cumulare non vulgari genere laudum.  
Certum enim est, qui originem traxerit ex  
tam praestantibus, cum tam praestantibus con-  
iunctissime vixerit, eos carissimos habue-  
rit,

rit, quibus carissimus ipse fuerit; in eo nihil, quod ad parem praestantiam, potuisse desiderari. De contrariis ita certè indicamus. Qui enim ortus sit ex vilibus, cum vilibus atatem egerit; in eo nihil fuisse singulare arbitremur. Verum de mediis mihi liceat affirmare. Si quis enim probis, licet humilibus, natus, cum honestioribus fuerit alitus, & vixerit, hunc ipsum hominem honestissimum non habere non possumus. Sed haec fortasse à me tenuius dicuntur, quae tamè afficere inferiorum animos possint: huc ibam, ut ostenderem, consuetudinem & amicitiam aliorum, cuiusmodi hi sint, tale de nostris quoque moribus testimonium dicere, et plurimum ad quemlibet siue laudandum, siue vituperandum facere videri: id quod in vita nosse perutile est, siue nos intueamur, siue de aliis iudicium faciamus. Porro, ne primam ELISABETHAE educationem praeteream, ad eius fratrem ipsis viginti duobus annis maiorem, regem Christianum tertium, Frederici secundi patrem, reuertar. De huius enim

C 2

laudi-

laudibus, qui sacro huic nomini semper re-  
spondit, pauca delibanda, ut non solum,  
quem quantumq; hunc fratrem, sed etiam  
quem alterum parentem, & principem ma-  
gistrum animi atq; morum habuerit, intelli-  
gatur. Rex Dania creatus fuit CHRISTIA-  
nus tertius ab obitu FRIDERICI patris, omni-  
bus ordinis equestris suffragiis, neglectus ab  
episcopis, quibus etiam ea res exitio fuit: qua  
est natura partium, ut factiosi se inter se  
comminuant, aut alteri certè pereant, nisi  
tam graui intestino malo medicina maturè  
paretur. Sed hac attingere, non hic persequi  
licet. Regnum igitur accepit, nec planè quie-  
tum, neq; sine armis, uti fit, ubi non sunt pa-  
cata omnia. Sed initio iuri potissima, reli-  
qua, non multa, armis cessere, spacio annuo.  
Ibi tum rex publicè, otium, leges, iudicia, scho-  
las, religionem constituit: imprimis acade-  
miam ornauit, accitis uiris doctissimis, quos  
& munificè habuit. A regia uero extermin-  
auit luxum, iniuriam, quaq; his comitan-  
tur, assentionem & calumniam, ut esset  
veluti

veluti templum frugalitatis, veritatis, iusti-  
tie, modestie, & qua harum dux merito  
censetur, sincera in deum pietatis. Vt autem  
ipse pius non simulato fuerit, cum omnibus  
vitae partibus ostendit, tum extremo eius a-  
ctu, quando inter preces suas & amicorum,  
pene id cernente familia, auctori animam  
reddidit, quod ut rarum apud reges exem-  
plum, diligenter litteris proditum est, et multi-  
cum admiratione referunt. Hic frater, cu-  
ius regia potentia par vitae sanctimonia per-  
hiberetur, ELIsabetham educavit. Cum  
vero simul ex eius ore, puella admodum, re-  
fulgeret maiestas cum modestia; omnes sibi  
heroinam, cum priscis facile comparandam,  
polliceri. Quin erat educatio parvi negotij,  
quod in eius ingenio, et animo, & specie, nihil  
natura neglexerat: siue in quam potius bo-  
na & animi & corporis largè admodum i-  
psa transfuderat. Quid enim forma men-  
tionem non faciam? Non solum enim sapi-  
entes de eius occulta vi mira prodiderunt,  
sed etiam alij existimant, indicem esse animi

pulcritudinis: quod ut plurimum esse existi-  
matur, si accedat cura educationis aliquid.  
Nec id paruum sanè, ad quod omnes ocu-  
los animumq; adijciant, quodq; omnes o-  
ptant. Hoc quoque signum evidens, quòd  
qui eius habent minimum, saltem detestan-  
tur oris turpitudinem, vel quia deformis a-  
nimi nota est, vel quia quamq; rem à con-  
cinnitate abeuntem longius, animo auer-  
samur, nec oculis adspectamus. Videtur eti-  
am non inepto argumento usus Priami, licet  
mollis ille filius, cum agrè ferens, formam sibi  
exprobari, responderet, haud aspernanda de-  
um munera, neque ea cuilibet contingere,  
quamvis optanti. Et quamq; in caducis rebus  
Et ipsa numeratur, et facile morbis, etate, ca-  
su humano perit, tamen haud facile nos dese-  
rat, si modo diligenter colatur. Diligentiam  
vero, potius in eius negligentia pono, et cultus  
temperantia. Nam si qua pulcritudinem af-  
fectet, vel pharmaco conciliet, brevi eiusdem  
iacturam faciat: laboriosa et temperantes, in  
plures annos hoc quoq; bonum cum valetudi-  
ne, ad

ne, ad vitæ sæpe finem proferunt. Id hæc quoque  
heroïna fecit. Namque in eius vultu his pro-  
ximis annis, si non emittit species, quæ in  
flore primæ ætatis fuit, certè ea, quæ iuven-  
ta videri potuisset. Sed ab hac quædam annis  
flaccescere necesse est, transeamus ad alte-  
ram, quæ etiam si vigorem suum maturè ade-  
pta fuerit, & omnibus perfectæ iam numeris  
videatur, tamen cum ipsa vitæ non conserva-  
tur solum eius integritas, sed ad eam accessio  
fit indies. Nec fieri aliter potest. Scitum  
enim est, qui non quotidie in virtute profici-  
at, hunc quò non oporteat digredi, et de die in  
diem se fieri ipso deteriores. Quæ fue-  
rit quamque gravis regia illius gynæcei disci-  
plina, mihi non perinde facile est scribere,  
ut existimare omnibus licet, qui ELISABE-  
thæ in vitæ integritatem, in moribus digni-  
tatem, in actionibus maiestatem considera-  
runt. Nam ut effecta sint, sic etiam prin-  
cipia fuisse tum naturæ tum educationis, du-  
bitare non possumus: neque hanc felicem fu-  
turam fuisse absque illa, neque illam absque  
hæc



hac perfici potuisse asseueramus. Principio ingrati non sumus aduersus eum, cuius sumus omnes, & à quo sunt omnia, quæ pro nostris habemus, cum non minus largitoris sint. Deo benignissimo accepta, inquam, feramus omnia: & simul prædicemus regem sapientissimum, qui sororem omni regia et muliebri simul virtute imbuit. Qui enim in puppi sedet peruigil, & clauum magna cura & artis peritia regit; omnia in navi ipse gerit, cetera gerentibus alijs, quibus gubernator ita, ut clauo ipso, pro instrumentis vitur, et si hunc manu dirigit, illis oratione præcipit. Laudemus & regiam virginem, quæ hunc ducem secuta, nihil admiserit omnium, quæ fugienda intelligeret, nihil omnium neglexerit, quæ sequenda. Erat profecto hac ratio omnino facilior, quàm vulgò solet. Namq; in quo natura est peruersitas, in eo quod ponitur, aut studium perit, aut studio vel nihil, vel tardè admodum proficitur: ubi item exempla sunt vitiorum, ibi vel hæc bonis moribus aditum atq; animam intercludunt, vel quasi

quasi machinis demoliuntur, que magno  
etiam negotio sapiens oratio exstruxerit.  
Secus hic erant omnia: animus properans  
ad virtutem: virtutis exempla, quo te per  
omnem regiam verteres: quos aspiceres:  
quas res considerares: neq; in conuiujs, neq;  
in vestitu luxus, neq; in vultu ferocia, neq;  
in verbis insolentia, nedum in factis contu-  
melia aut iniuria: alias artes pretereo, mi-  
nimè bonas, quarum vel antè memini, vel  
recensionem incommodam iudico. Vbi lu-  
ceret pietas, iustitia imperaret, habitaret  
modestia, obuersaretur humanitas, frugali-  
tas mensæ & mundo præset, beneficentia  
non quiesceret; ibi pium, iustum, modestum,  
humanum, frugalem, beneficum fieri, non e-  
rat difficillimum. Sunt autem in illis omnia,  
vel illa secum ducunt alia, in quibus decus  
inest, & vera laus. Quare sine caussa quis  
interroget, quid regie CHR Istanti commen-  
datio ad laudes ELISabethæ faciat. Mul-  
tum equidem si quid video. Qui enim mihi  
Chironis disciplinam descripserit, idem Her-  
D culis,

culis, Achillis caterorumq; heroum Gracia  
laudes decantant. Tales enim hi euasere,  
quales illa fuit. Nec ludus nequitia ali-  
os, quam homines nequam dederit: nec scho-  
la sapientia & virtutis nullos sapientes &  
viros bonos. At fuisse optimam illius re-  
gia disciplinam, tum senes etiam predicant,  
tum vero mores virginum purissimi, et huius  
heroina in purissimis etiam regij, loqueban-  
tur, quibus ipsa regum filias plerosq; vince-  
bat, a nulla omnium se vinci patiebatur. De  
quo omnis eius vita vniuersum testimonium di-  
xit: atq; ita iudicabant statim, cum ceteri et  
inferiorum ordinum viri boni, quos honeste  
viri intelligere nemo negaret, et optimi quiq;  
principes, tum is, qui quemadmodum Apelles  
de eximia pictura iudicaret, quod pictor ipse  
esset eximius, recte iudicare de virtute pote-  
rat, quod ipse et omni virtute regia, et sapien-  
tia supra regiam prestaret. MAGnum di-  
co, reuera magnum principem, HENRici  
ducis Megapolitani, illius, quem hostes  
auctorem omij calumniabantur, boni eodem  
nomi-

nomine in caelum laudibus efferebant filium.  
Hic MAGNUS, quem principum nemo sibi  
tum non vellet generum, ita erat omnibus  
de fama ingenij, virtutis & eloquentia no-  
tus, & gratus, censor utriusque pulcritudi-  
nis incorruptissimus, cum sibi vita sociam  
quereret, hanc potissimum delegit, cuius ani-  
mi pulcritudinem figura oris respondere a-  
nimaduerneret, suo ingenio suisq; conueni-  
entem moribus. Oderat ipse fastum, ode-  
rat luxum, oderat omnem profusionem, quae  
mala cum humanitate & beneficentia vige-  
re non posse nouerat: neque sine plurium in-  
ferioris loci mortalium incommodis, calami-  
tate, & querelis: nec ubi illa pestes sederent,  
locum esse modestiae & pietati: enormia illa  
aularum vitia, quibus ipsa sibi mirè placent,  
ac se praeter ceteris mortalibus beatas indicant,  
cum ijs ipsis sint ceteris graues & inuisae, in  
suorum nemine ferebat, in alijs maximè de-  
testabatur. Nec erat ille princeps, quem a-  
liquid diceret intelligere, cuiusque impe-  
rium ferri posse crederetur, sed qui omnia

D 2

vide.

videret ad vitam benè beateq; degendam in  
ciuitate necessaria: cumq; ijs omnes cu-  
mulare cuperet, eius erat omnibus optabile  
imperium, in quo precipiendi non nisi vesti-  
gium aliquod cerneret, de pluribus merendi  
perpetuum studium appareret. Ita ille sapien-  
tiam cum potentia coniunxerat, quarum so-  
cietatem solùm saluti esse posse rebus publicis:  
Et regnis censuit princeps sapientia. Nec  
minus valere potest MAGni iudicium de  
ELIsabetha, quam omnibus reginis antetu-  
lit, ac poetæ, qui præ omnibus heroibus Peleï  
filium ornauit. De Homeri autem iudicio,  
Achillem præstisse omnibus aequalibus omnes  
iudicant: nec ab horum, qui vnius, sed illi-  
us peritissimi, sententiæ standum sibi censue-  
runt, iudicio quisq; hætenus abiit. Non a-  
mauit ELIsabetham MAGnus, ut deligeret,  
sed delegit, quam amaret, Et quicum omne  
vita tempus consumeret. CHRISTIANUS igitur  
rex optimam sororem optimo principi, non  
repugnantem cupienti nuptiam dedit: nuptijs  
vtriq; nihil fuit optatius. Namq; et sponsa  
mteb-

intelligebat, quanto qualiq; principi nuberet.  
Optabant boni, quod sperabant fore, ut con-  
iugium esset iucundum, fœcundum, diutur-  
num. Respondebat euentus in ijs, quæ in v-  
triusq; potestate erant: fatum aduersabatur  
ceteris. Nam consuetudo inter eos: ita fuit  
suavis, ut suauior cogitari non posset. Cum e-  
nim amici virtute præstantes, inter se vitam  
agant; quanto iucundiozem esse coniugum  
credibile est, item virtute præstantium? in  
quorum præsertim animis et moribus quàm  
maxima esset similitudo, perpetua coniunctio  
voluntatum, non in ijs solum, quæ sunt obse-  
quij in quotidiana consuetudine, sed etiam  
in rebus maximis, ad omnes partes vitæ &  
domesticæ disciplina rei; familiaris consti-  
tutionem spectantibus. Nam quod ad  
hæc, ut archetypum rationis circumferebat  
MAGNUS, sic ELISABETHA eorundem ex-  
emplum in mente secum attulerat, probeq;  
meminerat, nec ipsa rationis inops: sed de  
hac eius excellenti, aliisq; excellentibus animi  
dotibus, iterum pluribus agemus. In reliqua:

D 3

autem

autem vita suauitate, quid potuit esse iucun-  
dius mutua admiratione inter se virtutum?  
quam hoc maiorem fuisse oportuit, quo illa-  
rum naturam & decus ambo magis intelli-  
gerent. Iucunda est in quilibet homine vir-  
tutis consideratio: agnitio eiusdem in se, cuius  
longè iucundissima: sed multo adhuc iucun-  
dior, quam inter se mutuam agnoscant con-  
iuges. Non enim hac una est voluptas, quan-  
do et superiorem in se complectitur. Sed que  
mihi modo in mentem venit, eam liceat Gra-  
eci tragædi referre sententiam.

Queis sunt, inquit, satis benè constitutæ nuptiæ  
Ætas beata: at queis cadunt minus bene,  
His cuncta sunt calamitosa domi & foris.

Quis in altero tibi non assentiatur, Euripi-  
des? Nihil enim profecto illo homine mise-  
rius, quoquo se vertat, qui sinistrum de nu-  
ptiis consilium cepit: felix vero etiam,  
qui hac in re fuerit felix, nec prorsus tamen  
beatus. Accidunt enim multa indies, quæ ta-  
lem felicitatem contaminant: quibus ego re-  
censendis, querendis etiam, supersedebo vo-  
lens: non exigua tamen infelicitas, ut homi-  
nes ple-

nes pleriq<sup>3</sup> affecti sumus, si speratos fructus  
hæc tibi consuetudo neget, nec alteram vel re-  
pentem videas, vel vagientem tui imagi-  
nem. Incredibile enim huius rei, puto etiam  
in sapientibus desiderium: licet his, quibus  
Et alia incommoda Et solitudinem leuent, in  
promptu multa sint. Non licere item satis,  
adeoq<sup>3</sup> iusto tempore frui tam grata felicitate,  
eamq<sup>3</sup> veluti abrumpis et ab in perpetuum  
abeunte, si ad longiusculum temporis spacium  
auelli graue, hoc etiam grauius est, adeoque  
grauissimum relicto: quod opinari me, non e-  
tiam sensisse mallet. Sed qua penes nos non  
sunt, ea boni æquiq<sup>3</sup> facere quemq<sup>3</sup> oportet, Et  
facilius possumus: quod in quibus aliquid cul-  
pæ contractum etiam, nec solet fieri, nec potest.  
Caruerunt lectissimi coniuges sperato fructu,  
nec forte caruissent in perpetuum: sed non  
fuit plurimum annorum hæc consuetudo. A-  
misit enim ELISABETHA, quod habuerat  
in vita carissimum, suaq<sup>3</sup> ipsius vita carius:  
amisi familia ducum Megapolitanorum,  
clarissimum sue gentis sidus: amiserunt hi  
populi



populi necessario tempore certum sua salutis  
vindicem. Nemo hoc negarit, qui quae ex  
interuallo secuta fuerint calamitates, siue non  
leuia incommoda, apud animum considera-  
uerit: quae neq; dum prorsus exhausta sunt:  
quae princeps ille sapientissimus, et ad benefa-  
ciendū cum natus, tum litteris confirmatus,  
nullo negotio initio auertisset: nata, post diffi-  
cilius erat: corroborata, hodie difficillimum.  
Sed *M*agni ducis laudes luculenta oratione  
explicauit *Arnoldus Burenus*, homo idem  
doctissimus et grauisissimus; neq; quisq; potuit  
aut poterit melius. Ipsemet enim *M*A-  
gni ingenium ijs doctrinis accuratè expolue-  
rat, quibus moderatorem ciuitatis futurum  
erudiri oporteret. Atq; in hoc regia peda-  
gogia munere, si quisq; nostra maiorum ue-  
atate rectè se gessit, fuit profecto hic *Bureni-  
us*. Non enim friuola, neq; leuia, aut ad  
speciem ostentationemq; parata, nobilissi-  
mum istum suum alumnū docuerat, quod  
pleriq; faciunt. Quotus enim quisq; cui  
tam graues partes credantur, ipse animum,  
mores,

mores, vitamq; rectè excoluit? nedum subli-  
miores artes cognouerit, quibus regem instru-  
ctum esse oporteat, ut ipse beatè uiuat, et bea-  
te uita rationem suis populis, ut pater, paneq;  
ut deus, aut certè pro deo, munificè omniq;  
cura impertiat. Acceperat enim uir ille ab  
optimis auctoribus, quæ multi, quibus ita ar-  
duum munus stultè creditur, ne primoribus  
quidem labris attigerunt, & eum usum re-  
rum sibi parauerat, ut rectè ad rerum hu-  
manarum tractationem & auditores alios  
& principum filios, ipse quoq; feliciter præ-  
pararet: idemq; primus fuit, qui superiorum  
seculorum inscitia atq; infantia detecta, &  
absterfa caligine, bonas litteras in academia  
nostra rectè diserteq; iuuentuti tradiderit: in  
quo etsi deinceps plures laboramus, tamen  
maiore diligentia & fide hoc ipsum nemo  
nostrum prestittit: quod quia ita se habet, di-  
co, non ut quemq; reprehendam, sed ut pluri-  
um acuam industriam, suam benè de nobis  
litterisq; merito laudem tribuens. Nos uero  
etiam Magni laudes delibauimus in elogio,  
E quod

quod eius sorori, dominae Ursula, paucis ante mensibus, quando ei funus fiebat, scripsimus. Exempto igitur rebus humanis MAGNO, quanto in luctu fuerit ELISABETHA, non unius anni veste lugubri, sed aliquot annorum animi tristitia satis ostendit: regressa quoque fuit ad fratrem regem, quem pro patre haberet, ut ab illo pro filia semper fuisset habitata, atque etiam nunc haberetur. A quo enim iam aliquid presidij et consilij expectaret, aut à quo potius peteret? Rectè in eius respectum redijt, atque potestatem, in cuius potestate fuisset à pueritia. Quidquid horum fecit, bono consilio fecit mulier prudentissima: neque tamen non eadem directa fuisse divino consilio, bonoque ipsius fato accidisse, nemo, opinor, inficiabitur. Nota erat ELISABETHA virtus longè lateque per Germaniam, sed nusquam notior, quam in Megapoli. Quae ad longinqua regna deferuntur, interdum vel habentur maiora quam sint, vel fidem non inveniunt. Credulum enim vulgus, periti contra. Quae non audimus tantum, sed oculis etiam ipsi vi-

psivi.

ipsi videmus; ijs et mouemur maximè, et sine  
dubitatione assentimur. Megapolitani et vi-  
cini populi heroinam nouerant, et in oculis ge-  
stabant, principes qui maximè aduerterent,  
aliud agerent? In ceteris MAGni patruelis,  
ducis ALberti filium, qui cum fratre IOanne  
ALberto tum una imperare caperat, princi-  
pem VLricum, florentem etate, forti animo,  
fortiq; dextra, status & forma corporis pla-  
risq; sui ordinis equalibus facile superiorem:  
(quin & hodie pulcherrimus imperij proce-  
rum, regiaq; oris maiestate preditus predica-  
tur) et forma ELIsabetha et virtus cepit, ni-  
hildum cogitantis de nuptiis; nec tamen re-  
pulsam pati is poterat, in quo essent omnia,  
quibus dux iuuenis commendaretur, qui  
placeret potentissimo sapientissimoq; regi,  
quem sibi quasi generum etiam optaret.  
Quid multis? nuptum datur VLrico Mega-  
politano. Feliciores, vel certè hilariores illo  
tempore fuerunt partes eiusdem Burenij, atq;  
hodie nostræ sunt. Mihi hoc luctuoso tempo-  
re omnia eò dirigenda esse intelligo, ut simul

aliquid solatij eidem optimo nostro duci adferant, cui ille publico nomine gratulabatur de nuptiis. Est ea oratio in manibus eruditorum, legiturq; non sine admiratione & scriptoris & huius heroinæ. Ille enim ita dicit, ut non tam disertis oratoris laudem, quæ purè et copiosè dicenti merito tribuitur, quàm viri prudentis & veracis dignitatem apud omnes facile tueatur: hæc ijs laudibus afficitur, quibus prædita cum esset, ijsdem principem inter reginas locum & gloriam adeptæ fuit sempiternam. Felicem igitur semper illam, quam semper Musæ dilexerint, neq; vlllo deinceps seculo neglecturæ videantur: contrà quàm ditissima mulieri accidit, quam tali aculeo Sappho vulnerat: Mortua, inquit, iacebis: nec vlla memoria tui supererit. Neq; enim rosarum ex Pieria es particeps, eius etiam nomen aeterno silentio obruens: ne quid contra, quàm caneret, vel cum illius infamia, fieri videretur: quo etiam magis constaret, quanta esset opum præ litteris imbecillitas. Famam  
nomi-

nominis per rosas Pierias indicat: quam  
huic optima principi à principio Musæ non  
negarunt, neq; deinceps negabunt, quæ ipse  
tiam saluberrimos & suauissimos fructus  
munificè tribuerint: quæ sunt illæ animi exi-  
mia dotes, quibus ipsa pluribus reginis in a-  
dolescentia multum præstitit. Quas in quem  
illa contulerint, hunc prædicatione suarum  
laudum carere non patiantur. Superstili ti-  
bi, ac neq; dum mediam vitæ viam ingressæ,  
ELISABETHA princeps, præmia summa vir-  
tutis persoluerunt Musæ tanti viri: neq; de-  
fuerunt alij præcones tuarum laudum, neque  
desunt hodie, & exorientur plures, qui à nobis  
accepta uberius et ornatius scribant. Me au-  
tem unus ille à scribendo panè deterruit, quod  
optime omnium omnes tuas laudes & intelle-  
xit & complexus est, & oratione sua illu-  
stravit, ut neq; mea deinceps, neq; alius ope-  
ra desideraretur: quin operam mihi ludere  
viderer, si hac conscriberem magis amulandi  
studio, quàm officij ratione. Hac adductus  
idem facio, quod in testimonij dictione faci-

E 3

mus.

mus boni viri, ut in re non discrepemus, etiam si alter altero clarius loquatur, aut purius. Nihil enim equidem habeo diuersum ab ijs, cum princeps Elisabetha numquam à se discesserit, sed prorsus eadem, vel omnia cum ijs consentanea. Mansit enim, sedemque fixit eadem in ipsius animo pietas, eadem modestia, eadem rei familiaris cura, idem studium bene merendi: Et hac omnia, inquam, ab eo tempore manserunt, et quæ cum ijs coherent omnia, quæ exponere fortasse, non solum erat longum, sed etiam difficile futurum eloquentia præstanti, mihi difficilimum est. Verum numinis cultum anteponebat omnibus rebus humanis, quæ oculos et animos mortalium solent perstringere et demerere, totosque in amorem sui rapere, et à vero bono auertere. Itaque videmus alios se voluptatibus mancipare, alios diuitijs, alios honoribus, præsertim eos, quibus nihil aduersi in vita acciderit. Habent enim hoc res secunda, ut non sinant mortales aliis, quam ad præsentia, et ad ea, quæ sensibus perci-

percipiuntur, animos attollere: nisi nati-  
ua quedam mentis lux, & huius fida co-  
mes, bona fidelisq; educatio, cui ad melio-  
ra viam monstrauerint. Non est igitur  
mirum, si omnium rerum copia cumprimis  
eos transfuersos agat, quibus omnia quoque,  
que libeat facere, licere etiam videntur,  
ut vel nullam cogitationem de religione  
suscipiant, vel se hoc agere simulent poti-  
us, quam agant, quò à se suspicionem im-  
pietatis, que omnium animos statim alie-  
nat, quibusdam quasi artibus declinent. At  
huic optima principi cordi fuit pietas: quod  
ambigere nemo potest, qui cursum ipsius  
vite, omnesq; actiones, paullo accuratius con-  
siderarit. Non enim externi quidam  
ritus, neque eleganter facta oratio ani-  
mum ostendunt, sed cum his consonans per-  
petua vite integritas, & rectè factorum  
nullo umquam tempore intermissus tenor. I-  
gitur quaecunq; deinceps referemus, ad hanc  
partem non minus confirmandam faciunt,  
quàm si hoc nomine ea referremus. Fru-  
ctus



Ætus enim, ut à seruatore accepimus, de arboris præstantia clarissimè testantur. Accepit autem ipsa ab infantia, quid de Deo Deiq; erga nos paterna voluntate statueret: accepit ab ipsa veritate, quantum ad vitam pie traducendam, & animæ uniuscuiusq; nostrum salutem, necessarium esse iudicatur: legit ipsa, et cū consideratione legit sacras litteras, earumq; sobrios interpretes cum attentione audiuit, atq; in scientia cœlestis veritatis mirificè profecit, ut hac re ad eos proximè accederet, qui cœlestia oracula cæteris enucleant, & hoc unum agunt, ut & eruant veritatem omnium partium religiosa doctrinæ, & vindicent aduersum satores superstitionis & prophanarum opinionum, à vero cultu numinis rudes, neq; dum satis confirmatos abducentium & præcipitantium in sempiternum exitium. Namq; ut mea fert opinio, plenior sacra doctrinæ eiusq; abstrusioris intelligentia, nec à muliere quamuis ingeniosa, nec à viro etiam doctissimo iure postuletur, & utriusq; captum longè superet: videtur

detur: nobisq<sup>3</sup> ignoscendum, si ea nos minus  
intelligere non dissimulemus, de quibus ipsis  
inter se eruditiss, modestiss, multumq<sup>3</sup> exerci-  
tatis theologis non satis conuenit: modo in i-  
pso fundamento vestigium figamus, & uita  
cursum ad praecepta caelestia, quantum fieri  
potest, studiosè dirigamus. Quod hoc ma-  
gis hodie nobis utraq<sup>3</sup> manus tenendum exi-  
stimo, quo omnia sunt opinionum & contem-  
tionum pleniora: quarum qui hasce oderit et  
fugiat, illas contemnat & negligat, tutius i-  
ter ingrediatur, & uitam aget sanctius. Vi-  
deo autem etiam, & gaudeo, in hac sententia  
sapientes principes esse, qui simul pietati &  
publica tranquillitati consultum uolunt,  
quod utrumq<sup>3</sup> sui muneris esse praclarè intel-  
ligunt: idem uero etiam quieti, id est ueri  
theologi sentiunt: quod qui Paulum quàm  
acerrimum ueritatis assertorem non uidet  
docuisse diuinitus, in manifesta luce nihil ille  
uidet. Porro quemadmodum in ciuili ui-  
ta, qui acris studio uirtutem colunt, quamuis  
humanissimi uiri, & hominum vsibus de-  
F uoti,

uolunt, pestibus certis hominum grauius succensent, qui motus animi laudatissimus, nemesis dicitur: sic in ecclesia, quae ciuitas dei est, amplior amplissima ciuitate, occupans omnes orbis plagas, diuturnior quouis imperio, omnium uidelicet seculorum, impotentior suis uiribus breui uico, imperatoris sui omni potentia potentior, atque in aeternum inuicta, ciuis probus, huius suae patriae amans, fidelis sui regis cultor, etiam abhorret blasphemos, et reos maiestatis execratur, acri itidem caelestis affectu, quem Zelon nominant. Id genus neque ferendum esse norat, neque ipsa ferebat, cum quos malitiosè ueritati caelesti contradicere, et conditorem seruatoremq; omnium contumelia afficere intelligeret. Maius autem non est pietatis argumentum, neq; certius hoc Zelo, in quo uidelicet scientia. Cetera enim saepe fallunt, facileq; simulantur. Videmus enim nefarios, impios, sacrilegos, frequentius adire fana, ritibus impensius studere, statò tempore conceptis

ceptis verbis magno conatu preces dicere,  
dictas se uero vultu, etiam cum supirius i-  
terare: interea tamen de veritate senten-  
tia, & de sanctimonia vita, parum sollici-  
tos. Neque vero negligebat, quae reli-  
giosè obseruari debent, tum ut pietatem ex-  
erceamus, tum ut alios nostro exemplo eò-  
dem inuitemus: & perscrutabatur, ut dixi-  
mus, sacras litteras, & faciebat, quae ad sa-  
lutem suam pertinere cognouerat, non eam si-  
bi ut pararet, quam dono acceperat, (qui  
namq; caelestium bonorum alia accepit, alia  
sperat, non caret etiam ijs, quae nondum acce-  
pisse à prophanis iudicaretur) sed ut testatù  
suo loco faceret, se veram & primariam  
ciuem esse caelestis reipublicae, de qua iam  
diximus. Quis enim nescit, cum reginae in  
luxu pleraq; & deliciis uiuant, nec ulli rei  
magis quàm splendori studeant; ELISA-  
betham nihil quidem eorum, quae ad dignita-  
tem suam pertinerent, neglexisse, sed tamen  
ipsam delicate vitae et luxu ita inimicam fu-  
isse, ut eius etiam signa detestaretur, & in  
F 2 suis

suis equo animo non toleraret? Ibi erat vi-  
dere laborem & frugalitatem: quæ ubi non  
sunt, ibi facile exulent modestia & pietas.  
Dicenda enim sunt eadem, quæ & ante di-  
ximus. Otium enim sine negotio omni vir-  
tuti inimicum habetur. Luxum vitiorum o-  
mnium sementem rectè dixeris, & quidem  
capitalium: nec singulorum in re manifesta  
enumerationi immorari attinet. Otium et  
luxus cum exitiosa multiplici sobole, totas  
gentes, regna, urbes, regias & priuatas do-  
mus, sæpe euerterunt: neq; fere locus vspiciam  
est, in quo non huius mali exempla aliquot  
videas. Quo magis licet existimare, quan-  
tum sit in frugalitate boni, cum priuatim,  
tum publicè. Detestabilia igitur mala auer-  
tit à regia: admirabilia contrà bona in regi-  
am introduxit, non solum in gynaceum. Non  
deerat virginibus mundus regius: purpu-  
ram, aurum, gemmas dico, quæq; ego plura  
vidi, quàm animaduerti, quæq; aduerti, no-  
minibus suis appellare nescio, neq; hoc admo-  
dum laboro: id docebant dies festi, & sacri  
& alij

Et alij, ut si quæ essent nuptiæ, aut illustris  
hospes aduenisset: atq; sanè in ea aula reges,  
electores, duces sæpe vidimus. Quod si gy-  
naeconitum introires, pura ibi & elegantia o-  
mnia, ut apud reginam: nec minus tamen  
laboris eadem plena & operarum. Virgi-  
nes ornatae, non alia, quàm sua pulcritudine.  
Si plebeius aliquis & imperitus, vel etiam  
ex alijs, luxu perditus, videret; ancillas di-  
ceret, haud nobili loco natas. Insedit namq;  
multorum animis prava & merito ex ani-  
morum fibris euellenda opinio: nobiles mu-  
lieres & fortunatas debere, quicquid est labo-  
rum, inferioris conditionis, tamquam ad hoc  
factis, imponere: ipsas autem comptas in  
perpetuis deliciis vitam agere. Turpe est  
dicere, sed frequentari hoc videmus in fa-  
milijs etiam tenuium. Miratus aliquando  
fui, ita sensisse multos ibi etiam, ubi præ cate-  
ris sapere homines visi fuerunt. Non eru-  
bit hunc non sanè leuem errorem in vita,  
Aristarchus, cuius Atticus, fateri, ipsi etiam  
vitæ rectoris magistro Socrati: sed hic ci-

uem suum docuit: nihil pigritia & incuria  
esse detestabilius: nihil aequè ex usu, atque  
opus facere, & res suas procurare omni di-  
ligentia. Hanc sapientissimi viri disciplinam  
non ignorabat princeps sapientissima: non i-  
psa nihil agens, dum virginum labores rege-  
ret, & operas instigaret. Nec falli ipsa pote-  
rat, cum quia oculis suis omnia sedulo per-  
lustrabat, tum quia ut initio blandè eru-  
diebat, ita acriter obiurgabat, si qua minus  
dicto audiens fuisset, aut negligentius officii-  
cum fecisset. Volebat omnino omnia ab il-  
lis ad nutum suum ita fieri, ut promptè ac  
libenter parère & imperata facere à qui-  
uis animaduertetur. Itaq; puella ut-  
plurimum dominae nutum anteuertebant.  
Nec minus igitur erat schola nobilium vir-  
ginum, cui ipsa praesideret, quàm gynaece-  
um regium famulitij & dignitatis caus-  
sa comparatum. Non enim magis suis u-  
sibus & splendori consulèbat, quàm ipsismet  
puellis & verae dignitati, id est virtuti &  
felicitati uniuersae suae familiae. Sape ad-  
debat

debat priori beneficio educationis, quod pri-  
mum est & maximum, etiam aliterum, quod  
et ipsum haud leue existimatur, ut carissima  
alicui virginum inueniem praestantem que-  
reret, & si opus esset dotem daret, vel libera-  
liter augetet. Qui igitur ex nobilissimis  
hoc non agerent, ut in tali regia ipsorum fi-  
lia uiuerent, ubi omnia ornamenta mulie-  
bria facile consequerentur? Ita autem e-  
rat studiosa virtutis & veri honoris, ut  
pupillas, quasq; alioqui accepisset, suspi-  
caturus, negligi, ad se inuitaret, aut ad edu-  
candum pro auctoritate sua inberet acce-  
dere. Heroina equidem digna res, vir-  
tute imbuere non eas solum, quae uellent,  
sed etiam, quae peritura uiderentur, à uitis  
indicare, nec pati ullam in ijs labem reside-  
re, quae paullo post fortissimorum equitum  
coniuges, ac deinceps nobilium uirorum ma-  
tres essent futurae. Cum autem de hac quoq;  
parte satis multa dixerim, etsi non satis me  
dixisse intelligam, neq; quod maxime uelim,  
hunc locum pro dignitate me non posse illustra-  
re, dif-



re diffitear; in reliquam primùm regiam  
producenda est oratio. Rectè equidem puta-  
bat, hanc etiam curam non minus ad se  
quàm ad maritum pertinere: immo totius  
reipublicæ onus mariti humeris incumbere,  
ad se hanc curam potissimum pertinere: sic  
illum rectius vacaturum negotijs publicis.  
Rectè aîo iudicasse. Sic enim ipsa materfa-  
miliæ in regia, ut aliqua civium in privata  
domo. Sed in regia ministri multi, viri &  
iuvenes nobiles, ut de famulante plebecula  
non dicam. Vulgus raro bona fide officium  
facit: numquam primarij faciant mala.  
Tamen, ut in inferioris conditionis homines  
advertere, necessarium est, ita in alteros non  
alienum. Nam & probi interdum aluci-  
nantur, & ut omnia rectè faciant, videre,  
quibus quid præmij debeatur, rectum. Sed  
ab hominibus abeamus ad res. Rectissimum  
nimirum, quæ sint, quæ ve supersint, ne cor-  
rumpantur: ne qua desint, & si qua desint,  
euestigio accersantur: sint quæq; suo ordine,  
& ad usum semper parata, Hoc et ad alia  
& ad

Et ad alimenta non minus pertinet, quæ si non prodigè suppeditentur, nihil culpa est. Non enim cum culpa frugalitas, sed laudi datur, etiam ijs, quibus omnia suppeditant. Hoc nomine Et Pericles celebratur, cum tamen celebretur idem princeps Et ciuitatis, Et inter magnificos. Parsimonia tenuibus pro penu est, fortunatis beneficentia fons, etiam magnificentia regibus: ne quis vel notam auaritia esse arbitretur. Nec mirum, argumentis non moueri, qui tantum culinae nidore Et anthosmia flagrantia suauius afficiuntur: ut de ijs non dicam, qui nihil nisi boues assos et vini cados somniant. Neque vero etiam vel hi vel illi rationibus refutandi, sed seueritate disciplinae coercendi sunt, etiam salutis suæ causa. Grauius autem est, Et forte dignum commemoratione, quod qui intemperantiæ nervos incidit, aut cursum inhibet, idem honestati consulit Et prudentia etiam aliorum, sine qua omnibus in vita tenebrae sunt. Hoc qui in regis fecerit, in uniuerso regno legem ille saluberrimam sanxit.

G

rit.

rit. Sed quod in eo, quod rectissimum est,  
sive confirmando sive illustrando pono, id  
amittere mihi temporis videor. Prode-  
undum enim extra regiam, in hortosne? an  
in oppidum? an in loca longius disita? vix  
putarem hortos verbo mihi fuisse attingen-  
dos, nisi viderem mellitissimum apud Græcos  
scriptorem hunc locum minime præterisse,  
cum vitam et res gestas optimi Persarum re-  
gis describit. Pœne enim ante oculos ponit le-  
gentibus, Cyrum arbores manu inferentem,  
& in quincuncem veluti in aciem collocan-  
tem: peneq; paradisos Persicos herbis, flori-  
bus, et rivulis pingit. Hic etiam circa ar-  
cem ducis, loquuntur elegantiam & labores  
regina, si quis herbas consideret omnis gene-  
ris, si arbores domesticas, exterarum, voluptati  
et valetudini, et vsui seruientes. Sed ulterius  
mihi prodeundum intelligo: quo videlicet illa  
ex arce, tamq̃ è castris, copias beneficentia  
educeret: non solum in oppidum, sed etiam  
quocunq; iter faceret, aut certe ubi locorum  
constitisset: primum tamen in hoc, quoniam  
proxi-

proximum, ei in oculis. Cum autem se quicq;  
hominem esse meminisset, eisi externis prae-  
diis munitam, neq; extra fortuna omnem  
aleam tamen positam; neminem ipsa de-  
spexit, sed cum primis miserabilium perso-  
narum rationem habendam censuit: nec sem-  
per exspectabat, ut vel moneretur vel roga-  
retur: non solum, si opem suam desiderari  
audiret, praesto erat, sed etiam quarebat,  
numquid desideraretur. Hanc sibi curam  
sumpserat, quam non solum multa opulenta  
& magnifica, sed plerumque etiam e media  
plebe mulieres libenter declinent & fugiant:  
sive etiam à Deo, uniuersi moderatore sa-  
pientissimo, & minimè omnium rerum  
negligenti, huic se cura praepositam non mi-  
nus esse, quàm regio honore amplissimisq; o-  
pibus cumulata, sentiebat. Huic vsui u-  
tramq; arcam destinarat, et hanc, in qua nu-  
mos & alteram, in qua remedia condidisset:  
ut nihil de alimentis dicam, quae quotidie, &  
quidem bene largitebat egentibus.  
Prospexerat sanè etiam pauperioribus pas-  
sim per

sum per provinciam: neq; prorsus alibi ne-  
glexit, quæ hic primum & maximè præstitit.  
Sed præterea tenuiores argento subleuabat, de  
quorum probitate certior facta fuerat. Nam  
misere egere, qui semper improbos vetat, ad  
probitatem minus inuitat plebeculam, quæ  
etiam ad officium cogenda sit. Ægro-  
tis licebat è regia pharmacotheca, quibus quo-  
tiesq; opus foret, petere: non minus, quàm de  
præterfluente riuulo aquam haurire, bono-  
rum nemo prohibet. Optabat id fieri cum  
salute decumbentium, atq; si fieret, potius be-  
neficium se accipere, quàm dare arbitra-  
tur. Neq; inde laudem captabat, aut grati-  
am expectabat. Qui enim gratis benefa-  
ciunt, quod nature proprium est optime &  
prorsus magnanime, quàm multa in ingra-  
tos conferre necesse habent? Sed sciebat gra-  
tiam habituros bonos: sperabat exoritu-  
ros huius perpetuæ bonitatis, & inaudita bene-  
ficentia præcones. Vt enim qui dimensionum  
omnes rationes, ipsamq; regulam Polycleti  
ad unguem teneat, si Herculem arte perfe-  
ctum

etiam contempletur, hoc sine acclamatione  
non faciat: ita qui magnificentia, qui ma-  
gnanimitatis, qui sapientia, qui iustitia vim  
et decus intelligat, earum splendore sic obstu-  
pescat, ut in omnium praecordia erumpat de-  
niq. Qui porro ex illis non affixi lecto ia-  
cerent, trepidè adeuntes, imo adire imperio  
coactos audiebat interdum, ut miseris meli-  
us consuleretur. Ipsa igitur, ut tragediam  
non legerit, tamen ita sensit, non esse turpe  
homini, non regi, non reginae, animo affici  
calamitate, etiam infirmi loci, non solum sui  
ordinis hominum, et si iuvare possis, manum  
illis quoq. admoovere. Valeant delicati, qui  
etiam oculos avertunt, nedum de ope cogi-  
tent, immemores qua conditione nati sint, et  
nimium securi futurorum. Omnem vero  
reliquam de aliis sollicitudinem facile una  
superabat, de pregnantibus & puerperis:  
neq. ijs minus praesto erat consilio et ope, nun-  
tians quae facerent, & mittens quibus opus  
esset, quam obstetrices manu & opera, quibus  
hoc unicum & quidem mercede, cura est:

G 3

neq.

neq; has tulisset, nisi vigiles, nisi officij perpetuo memores, nisi de hoc religiosè sollicitas, ut ipsamet erat, nec regia dignitate hoc indignū sentiebat, quæ et ipsa mater esset. Peream, nisi cum animi voluptate singulari accepi, ipsam, quod et alias sanctas reginas fecisse memoria proditum est, neq; fuisse dedignatam humiles domos ingredi, visum periclitantes puerperas. Hoc cum laudi detur nobili mulieri, an non in hac principe, regio prognata sanguine, mereatur longe maximam? Dignum vero factum, et hac, et regina qualibet: nec ulla id ipsum proba regis mater infitias inerit. Antiquitas etiam, cum rectè iudicaret, diuinum hoc esse beneficium, ortui nostro, tamq̃ obstetricium numen Dianam, siue lunonem præesse credidit, atque hanc propterea Lucinam nominavit. Ab hac cura gerebat et alteram, eamq; pæne parem de pupillis et viduis. Vidua si negligenteretur, miserrimas fieri oporteret, præsertim cum & ipsæ sint consilij inopes, & omnis improbitas in eas ultro impetum faciat: et pupilli non solum ad ultimos egesta-

egestatis terminos statim redigerentur, sed  
etiam primis annis neglecti, prorsus & sibi  
& reipublica perirent: quos seruare & ipsis  
& ciuitatis vsibus geminum beneficium est.  
De aliis antè diximus, qui vel morbis cru-  
ciarentur, vel inopia premerentur: reieci in  
hunc locum, de quibus initio forte fuisse di-  
cendum alius existimavit: ego non multum  
referre arbitratus fui. Nam ministros  
ecclesie, & Iesu seruatoris legatos, non ha-  
buerit in pretio, cum reginam se esse paruam  
duceret, ecclesie ciuem omnium maximum?  
illum veneraretur, Deum videlicet, & salu-  
tis omnium auctorem? Colebat vero, eos qui  
heri optimi maximi ouilis curam gererent,  
oues in campos & ad riuos sana doctrina  
ducerent, & pedo scientia in via tenerent,  
lupos baculo veritatis auerterent, exem-  
plo bono essent aliis, sine superbia, maledi-  
centia, luxu, auaritia, ambitione: hos am-  
plectebatur toto animo, & egentes stipe lar-  
ga subleuabat, ut precibus & meditationi  
vacarent, & officio commodius fungeren-  
tur.



tur. Quoniam etiam ecclesie, vite civili, et  
priuatis quoque hominibus multiplex doctri-  
na opus esse intelligebat: exemplo mariti du-  
cis beneficentissimi, in ludos litterarios confe-  
rebat aliquid, et tenuiorum filios, in quibus  
indoles, de quibus spei aliquid bona, saepe sum-  
ptu necessario iuuabat: sed iuuabat ex Me-  
gapolitanis praeter ceteris suos, quorum curam  
ad se propius pertinere iudicabat: non quod  
ceteros in suis non haberet, sed quos à mari-  
tis, duce Magno et duce Ulrico, donatos pro-  
pter nuptias accepisset; horum oppida et libe-  
ros ornauit, omnia faciens, quibus maternam  
ipsis curam probaret. Itaque mater ab ipsis au-  
diebat, et ad eius aduentum, ut matris ac-  
currebant. Gryphis-molae geminum erat in-  
cendium, alterum flammae, alterum seditio-  
nis. Seditiōnem funditus deleuit, ut auctores  
pœna afficeret, imperitioribus ignosceret, in-  
nocentes tueretur. Aedes igni absumptas  
instaurari iussit, et ciues sollicitè et benignè  
ut mater iussit, et curiam à fundamento ex-  
struxit. Ex ipsius alumnis unum mihi libet  
predi-

predicare, Grabos natum, Ioachimum Re-  
marium. Erat enim eximio ingenio pradi-  
tus, et doctissimus iuuenis, fueratq; iuriscon-  
sulti dignitatem adeptus. Is cum se iam to-  
tum ad utilitatem publicam retulisset, fure-  
sto anno, qui ab hoc fuit vnus et vigesimus,  
peste vna cum vxore extinctus fuit: Et ta-  
men ingenij monumentum aliquod reliquit,  
in cuius vestibulo huius incluta domina vir-  
tutes, Et pra aliis in bonas artes beneficenti-  
am, Et eiusdem in se merita gratie admodum  
pradicat. Fauebat ipsa, Et benefaciebat  
omne genus bonis litteris, earumq; cultori-  
bus, sed ijs ante omnes, qui ad sacras ani-  
mum adiecissent, tum quod erat ea pietate,  
tum quod videbat fortunatorum filios pla-  
rumq; opes Et honores sequi, cultu earum  
doctrinarum, è quibus fructus sperantur Et  
honores. Et quidem hic locus, non negligenter  
à me consideratus, expolitionem mere-  
batur singularem, quam consulto in presentia  
pratermittimus. Caterum quod in omni  
genere bonarum artium vsu venire anim-

H

aduer-

aduertimus, ut in qua quis excellat, eius studium ita persequatur, ut magis excellere, & se in eo ipso superare, indies labore; idem fieri in virtutis studio, atque eo magis, quo idem nobilius, existimandum est. Non solum pictor tabulas suas meliores velit facere, nisi quis operarius sit, & lucri quam artis studiosior, sed multo magis imperator, uno alteroue successu, siue ex insidiis hostem adortus fuerit, siue etiam aperto Marte, minime contentus sit, nisi solida victoria positatur. Haud aliter, qui semel de aliis benemereri ceperit; in eo in quo praestat genere, siue consilio, siue opera, siue sumptu, finem bene de pluribus merendi, neque possit facere, (ita se confirmavit) neque veli, quod ab hoc spacio discedere, aut in eo consistere, turpe esse intelligat. Hic igitur etiam animus erat laudatissima principis. Neque enim locum reliquit in provincia Megapolitana, in quo non aliquod bonitatis & beneficentiae suae vestigium impresserit. Iuuit ipsa primum alias consilio, quae sapientia etiam sapientissimas re-

mas reginas, de quibus aliquid memoria pro-  
ditum accepimus, facile aquaret: alijs  
presidium apud maritum conciliauit, non  
quod aliquid sibi in repub. sumeret, sed quod  
sola vel prima omnium tempus illud vide-  
ret, quo princeps optimus inter occupationes  
perpetuas commodè moneretur: nec parum  
poterat apud maritum: quantum videlicet  
coniugem posse rectum erat: plus etiam, neq;  
volebat ipsa. Pecuniam passim in miseros et  
tenuis, quorum vita abesset à flagitijs, libera-  
liter contulisse, antè diximus. Quae sedula ma-  
tris familias essent, omnia singulari cura ge-  
rebat: si qua bene constituta essent, beneq; fie-  
rent, approbat et collaudabat: si qua minus  
bene constituta, emendabat, vel mutando vel  
adijciendo: si qua prorsus desiderarentur,  
de integro constituebat, honestati in omnibus  
consulens & utilitati populi: ut qui honestè  
viuerent, neq; vita necessarijs commodis e-  
gerent: deniq; quos è misera plebecula vel  
laboribus confectos vidit, vel morbis, vel  
senectâ: his sedulo, domos, vestes, ali-

menta vidit. Hoc & omnes hodie predi-  
cant, & inscriptiones passim plurimum domo-  
rum ad posteros testantur: quas vel instauravit,  
vel condidit, quibus etiam reditus donavit  
vel auxit. In quibus cum adhibuerit  
summam, nemo etiam alteram diligentiam  
reprehenderit, qua providit, ut ne familia  
quid deesset, & quod superesset, ne periret:  
sed abunde esset, unde inferioribus bene fieret.  
Quemadmodum enim in ipsa regia, ut dixi-  
mus, maxima, minima, sibi cura habebatur,  
ita et in praediis ducalibus, quas liceat dioeceses  
nominare. Non potest unicam villam dili-  
gentius administrare paterfamilias, ipse eti-  
am praesens, quam EL Isabella dioeceses, earumque  
villas per Megapolin administraret,  
tamquam omnibus locis adesset. Erant  
quoque loco praefecti, villici, villica, reliqua familia.  
Paucis recte omnia credi quis negat?  
plerisque nihil credendum omnes autumant:  
fides in paucissimis, & hanc explorare longi  
temporis, & magni pene negotij: quod quos  
explorasse tibi videaris, saepe in maximis etiam  
amfab-

lant. Huic malo medentur rationes, & animadversiones, sed multo magis presentia domini, dictis plurimum acutis nobilitata. Neq; alia negligebat, & ipsa praesto erat: quin si longissime abesset, omni momento ab illis expectabatur, ut praesto magis esse, quam abesse putaretur, aut certe non diu ab futura. Saep enim, nec opinato, in villam venerat, non sciscitans de singulis, sed singula perlustrans, ante quoq; interdum, quam villicus villicae persentisceret. Probi hoc gaudebant, quod sibi minimè fraudi futurum, rectè crederent. Deteriores deterrebat à negligentia metus, qui non satis firmus, tamen qualiscunq; officij custos est, & quamq; suos non facit meliores, tamen non sinit esse nequiores, efficitq; ut minus heris incommodent, & ab ipsis inuitis poenas etiam saepe graues auertit. Itaq; opinor, & multi meae opinioni subscribunt, huius aetatis reginarum neminem extitisse meliorem matrem familias ELisabetha principe: parem vix reperiri posse existimarim. Exemplo vero hoc suo

H 3

nobi-

nobiles fœminas Megapolitanas siue exci-  
tauit ad sedulam procuracionem rei familia-  
ris, siue in hoc nobili matronali officio confir-  
mauit. Ipse enim optimè filias educant,  
familiam bona disciplina gubernant, quæ ad  
villicas pactiones pertinent, regunt, rem pe-  
cuariam non negligunt, quæ ex agris conue-  
cta fuerint, in horreis custodiunt. Ita fit, ut  
quibus etiam non sit villarum copia, domi ta-  
men neq; rerum ad vitam necessariorum sit  
inopia. Ad principem nostram redeo si quis  
fortè me ab instituto declinasse arbitretur.  
Hæc igitur etiam videbat, ut quemadmodum  
prefecti mandarent agricolis et ceteræ fami-  
liæ, quid facerent, ita iisdem non liceret, gratio-  
ris aliquid oneris cuiq; imponere, quo necessa-  
ria opera impedirentur, aut sub quo, veluti  
clitellarum pondere, conciderent. Excogitabat  
non tantum ad sui nominis memoriam, ad se-  
ram posteritatem, sed etiam, quæ potissimum  
ad prouinciæ utilitatem facerent. In his &  
hoc est, quo nihil per hanc regionem iter faci-  
entibus commodius, quod vias passim muni-  
endas

das curauit: qua restanti etiam apud priscos  
Romanos fuit, ut auctoribus nominis im-  
mortalitatem pepererit, quod ab illis no-  
minarentur, Appia, Flaminia, Æmilia, a-  
lia ab aliis. Sed ne quis tamen suspicetur,  
consuetudine et lege publica de viis nihil pro-  
uisum. Quod ipsa fecit, ad quam lex non  
pertineret, beneficium est, & singularem lau-  
dem meretur, sicut & alterum. Siluas enim  
passim ante annos complures seuit, cum mul-  
torum admiratione. Noua enim homines  
admirantur, & qua non experti sunt, vix eti-  
am probant. Nunc id consilium admirari  
simul oportet, & probare. Etenim siluæ,  
quarum auctorem & annum natalem pas-  
sim herms, ipsisq; insculpti versus, indicant,  
hodie vel ligna focis, vel trabes adibus, vel  
malos nauibus, vel etiam pecoribus glandes  
suppeditant. Verum iam è viis & siluis et  
agris & villis, ad loca reuertamur, in qui-  
bus hominum cœtus frequentantur. Cetera  
Elsabethe merita antè recensuimus: unum  
huc distulimus: quod simul etiam religioso:  
pieta.



pietatis signum est, & prorsus pium factum.  
Nam templa reficere & exornare, & redi-  
tus annuos designare vel augere, è quibus sa-  
cerdotes & aditus honestè alantur, magnum  
pietatis opus est, & argumentum. Id mul-  
tis in locis fecit: sed cum primis templum  
nobile Gustrouij, quod regia vicinum est, pa-  
ne iam desertum, ruinaq; proximum instau-  
rauit, ipsiq; reditus, ut pia ceremonia fre-  
quentarentur, reddidit, & adis eiusdem, po-  
tissimum eam partem, qua exuias carissi-  
mæ sororis condiderat, et suum etiam corpus,  
cum animum cælo reddidisset, condi volue-  
rat, supra modum magnificè ornavit mar-  
moreis, magnaq; arte perfectis, monumentis.  
Monuerat item, ut templum in Doberano,  
quod Rostochio decem millibus passuum di-  
stat, in cæteris templis vnum quoq; elegan-  
tissimum, quod qui in remotissimis terris  
quamplurima contemplati fuerunt, quibus  
ipse quoq; assentior, affirmare non dubitant,  
tum sartum tectumq; seruaretur, tum nouis  
monumentis ornatius redderetur. Nec aliter  
omni-

omnino fieri debuit, quoniam eo loco sunt pluraque priscorum ducum Megapolitanorum monumenta, tum ipsius prioris mariti, ducis MAGni, quem ob virtutes verè regias, & doctrinam reconditam multiplicem, supra non tam copiosa & culta, quàm vera oratione laudauimus. Id monumentum hac ipsa domina, cuius laudes modo decantamus, tum luctuosissimi sui temporis memoriam renouans, exstruxit: inscriptionem fecit Ioannes Bocerus, vir doctissimus & poëta præstans, amicus olim noster, & academia Megapolitana ornamentum. Porro, quod initio fuit ostensum, & è domestica disciplina comprobatum: nihil fuisse antiquius huic longè optimæ domine, quàm nobilium virginum educationem; huius suæ curæ exemplum etiam ad posteritatem illustre admodum reliquit. Materna erat hac cura, quòd quæ in Doberfino ad Golbergam, et in Rhune ad Buslouium, vltro adulta ætate Deo se deuouissent, virgines sæpe uiseret, earum mores censeret, eas ad sanctimoniã vitæ cohortaretur, demiq;

I ijs leges

ijs leges salutare ferret. Hanc tamen curam  
longe superat beneficentia, qua aduersum  
Rhunenses virgines vsa fuit. Neq; enim mi-  
nus gratia domina Elisabetha, quam il-  
lius virginum cœnobij conditori debetur:  
quod non sine exemplo asseuero. Etenim  
Amphipolita olim vindicati ab iniuriis A-  
theniensium per Brasidam, qui & victor in  
illo praelio occubuit, hunc ipsum Brasidam ser-  
uatore[m] suæ ciuitatis pro conditore habend-  
um censuerunt, & dirutis Hagneis, eidem,  
vt illud seculum ferebat, diuinos honores &  
anniuersarias victimas decreuerunt. Ma-  
gis autem Elisabetha condidisse, non solum  
reparasse Rhunen putanda est. Non solum  
enim è ruderibus templum erexit, & virgi-  
num monasteria, id est unicuique suam do-  
mum commodam & elegantem condidit, sed  
etiam tum reditus veteres conseruauit, tum  
hos ipsos munificè nouis auxit, vt que frugali-  
ter viam instituant, quod maximè decet vir-  
gines nobiles, Deo dicatas, nihil rerum neces-  
sariarum desiderarent: quod hospitibus nobis  
ipsa.

ipsa aliquando, grata erga beneficentissimam  
dominā, sibiq; gratulata, predicarunt. Neq;  
hoc tantum praestitit, sed multo etiā maiora,  
sine quibus illa commoda leuia, meo iudicio,  
forent. Itaq; illa quoq; referam. Quidquid  
enim superstitionum irrepserat, id omne o-  
mni cura aboleuit, & ad canonem sacrarum  
litterarum instituta Rhena direxit: atq; eti-  
am insuper ipsis potestatem fecit ad pie-  
tatem & modestiam educandi & crudi-  
endi ad operas muliebres, nobilium & ho-  
nestorum hominum filias, quae paruo & ali-  
menta & rectam educationem haberent, et  
ibidem quam diu parentibus videretur, vi-  
uerent. Patet igitur latissime hoc bene-  
ficium. Primum enim ad eas pertinent,  
qui ibi reliquum vitae sponte sua transigunt:  
deinde ad familias primarias, quae educa-  
tionis beneficium suis filiabus non invident,  
quas etiam pias et frugales deinceps matres-  
familias futuras spes sit. Ex his igitur,  
quae dixi, apparet, quam multis virtutibus  
regijs princeps ELISABETHA plerasque  
12 regi.

reginas superauerit, & quot quantisq; meri-  
tus Megapolitanos & priuatim & publice  
affecerit. Quod si iam in virtute & me-  
ritis vera felicitas inest, ut profecto absq; il-  
lis hac nusq; reperitur gentium, sed potius res  
secundæ, nuda quibus sunt, in exitum praci-  
pitant; omnem illam adeptæ fuit. Quod si  
vero etiam premia in parte felicitatis ponen-  
da quis existimat, quicum & ipse sentio,  
neq; hac accessione caruit. Diximus sanè de  
externis bonis ab initio: quæ possedit, ut ijs  
bene uteretur, & quia bene semper vsa fuit,  
magis possedit, & plura acquisiuit. In omni-  
bus autem illis potest quis maiora et illustri-  
ora nominare, quàm sit gloria & liberum fe-  
licitas? Nemo opinor huic sententiæ aduer-  
sabitur: nec quis eam repudiaturus mihi vi-  
deatur. Causa etenim nihil est. Gloriam  
ipsa & bonorum prædicationem nacta fuit,  
vel ab adolescentia, vel certe à primis nupti-  
is, eamq; tum sermones hominum, qui tan-  
tam vim habent, ut multa quasi per manus  
posteritati tradiderint, quæ nullum tempus  
abole-

aboluit, tum monumenta litterarum; qua  
certam & sempiternam vitam heroibus, eo-  
rumq; illustribus factis sola donant, immor-  
talitati consecrarunt. Non dubito, quin ab  
aliis id perfectum iam sit, in quo etiam ipsi  
conamur, quantum possumus: ac si idem à  
nobis prestitum non fuerit, ob orationis, qua  
laboramus, inopiam; res ipsas hinc tamen ac-  
ceptas, iam antè disertiores feliciore calamo  
illustrare iussimus. Quod equidem inuideo  
nemini, cum quia ab hoc animi morbo absun-  
longissime, tum quia omni virtuti premium  
debuum persolui, mirifice gaudeo. Qui ali-  
ter affectus sit, virtuti inuideat, cui inuidere,  
favere vitis existimem. Nunc, ut ad alte-  
rum: peperit princeps ELIsabetta duci Vl-  
rico filiam, SOPhiam. Hic iterandum, de  
quo toties dicendum est, quod in dicendo vi-  
tio dari non ignoro: sed consilio rhetorum hic  
uti mihi non libet, forte neq; uti debeo, nisi  
mihi hanc veniam dant, vel etiam præcipi-  
unt, quod facio. Rem autem ipsam sequor.  
Dixi, ut princeps virgines suas domi educa-  
uerit,

uerit, ut ceterarum quoque virginum edu-  
cationi prospexerit: ut mater filiam edu-  
carit non dicam? Hoc tamen uno verbo  
faciam, quod ipsa, à quo die filiam enixa  
fuit, ad id momentum, quo eam sponso tradi-  
dit, non neglexit, sed omni materna regia cu-  
ra fecit, ad quem modum se educatam me-  
minerat: ac feliciter educationi filie su-  
premam manum imposuit, quando ei ma-  
ritum inuenit. Nuptiæ enim, ni fallor, a-  
pex educationis sunt, vel primus eiusdem  
finis. At quem maritum? Regem iuuenem  
fratris filium, cuius animum non minus per-  
spexerat, quam filie, ut facile providere  
posset, fore has quoque felices faustasq; nu-  
ptias. Videbat annis vigentem, forma præ-  
stantem, pollentem viribus, à natura factum  
ad artes tam belli quàm pacis, etiam ad  
humanitatem, et priuata consuetudinis cum  
bonis & præstantibus suauitatem: longè la-  
teq; imperare non erat nescia, cuius regno-  
rum limites ad septentrionem non facile de-  
scriberentur, et si describerentur arte, non qui-  
uis la-

uis tamen facile eos animo comprehenderet,  
nisi idem quoque eruditus, & reliqui situm or-  
bis cognouisset: sciebat ipsi esse reditus re-  
gios, & vectigalia inaudita ad fauces Hel-  
la, quas cum Pactolo & Hermo quis consc-  
rat. Verum neque ad immensas opes, neque ad  
summam potentiam oculos adiciebat sapiens  
mater, quibus tamen ille superiores Danica  
reges omnes vinceret, & à paucis forte hodie  
regibus vinceretur: alia respiciebat, quae  
antè dixi, neque orbi terrarum incognita.  
Quis enim nescit, quàm feliciter initio impe-  
rij sui inuenis rex FRIDERICUS secundus,  
socio patruo ADOLPHO, duce Holsatiae,  
principe item fortissimo & id temporis flo-  
rentissimo, bellum cum Dithmarsis gesserit?  
Hos ipsos, bonos et diuites colonos, militiae ad-  
suetos à maioribus, & acres omnino bellato-  
res, pluribus etiam seculis imperio Cimbrico  
reluctatos, sua diuioni subiecerunt duces for-  
tissimi. Quis item nescit, belli, quod aliquot  
annos, socia nobili ciuitate imperij Lube-  
ca, aduersus reges Sueciae, potentissimos &  
ipsos,



ipſos, claſſe præſertim, geſſit, in quo ſtrages in-  
credibiles terra mariq; editas, & clades ac-  
ceptas vtrinq; grauiſſimas meminimus &  
horremus, quàm ſecundus euentus exſtite-  
rit? Nemo negarit, tandem in hoc bello ſu-  
perioreſſi fuiſſe Fridericum regem? quàmq;  
Erico rege Sueciæ in tragicas fatales calami-  
tates demerſo, & ſuccedente in imperio fra-  
tre Ioanne, inclinanteq; ad pacem, qui bellum  
non mouiſſet, ſed acceptum repente abijcere  
tuo nullo modo poſſet, ad conditiones pacis  
vtrinq; deſcenſum fuit. Otium ab eo tem-  
pore tutatus eſt, nec quidquam prætermiſit,  
quod ad otium conſeruandum faceret: legi-  
bus & bonis inſtitutis auxit regnum: ius æ-  
quum dixit: ne quid in eccleſia nouaretur;  
præuidit: ſtudia doctri-næ per omnes ſuas pro-  
uincias coli iuſſit, in vltima etiam Thule, qua  
& ipſi paret: digna conſtituit præmia bonis  
doctõribus in academia ſua Hafnienſi, vt  
vix vſpiam alibi. Paſſim ſanè academia-  
rum copia: doctõrum ſic ſatis, vt alius gene-  
ris alibi deſiderentur: mercedis, hoc difficili  
ſeculo



sim depromat, cum velit. Theſaurus enim  
profecto verè regius eſt, viri conſilio et manu  
preſtantes: qui in otio otium tueantur, primis  
commodis una fruentes, & ingruente tempe-  
ſtate hoſtiles itidè impetus propulſent, primis  
etiã aditis periculis. Hæc enim ſunt ex di-  
gnitate regis familiarium, nec alia ratione à  
ſe caterorum inuidiam declinent. Multa ibi  
regum ducumq; filia, animi pendebant, et quo-  
quaq; modeſtior & formoſior, hoc magis, cir-  
cumſpectantes, ad quã tantus ille rex virginẽ  
animũ adijceret, ratæ omnes, quam ipſe duce-  
ret, ex omnibus ſui ordinis fore feliciffimam.  
In hanc occaſionem etiã reges & duces in-  
tentos vidimus, ſuis quiſq; filiabus optimè vo-  
lentes conſulere. Circumſpectabant alij, perin-  
de, ut ſpectatores ſolent, quorſum res euade-  
ret. Regem ipſum in tam ardua deliberatio-  
ne, animo primũ fluctuaſſe, neq; affirmarim  
temerè, neq; temerè negarim. Magnum enim  
hoc negotium per ſe: et ex paribus, quorum ſic  
inter ſe magna ſimilitudo, deligere, ut quod o-  
ptimum ſit, delegiſſe, ratione ſtatuas, difficile,  
ſi quid

si quid aliud, in hoc praesertim genere. Tamen  
ut arcu exerciti facilius collineant, et à meta  
minus aberrant: ita in rerum humanarum  
tractatione versati, quaecumq; ijs obijciatur,  
statim, quid factò opus sit, vident: potissimum  
si & alia incurrant in oculos, & finis pæne  
oculis obuersetur. Sed quemadmodum ille re-  
gins animus luctatus fuerit, aut statim hoc  
consilium amplexus, ut fomes scintillam ar-  
ripiat; hoc relinquam: narrabo, quod omnes  
non minus nouimus, ac si interfuerimus, si  
viderimus. Visam, non effigiem, ne dicā, qua  
cui pictor malitiosè imponat, sed qua illius  
inscitiā non satis referat, quod contemplari  
habeas: sed ipsam viuam videntemq; Sophi-  
am Megapolitanam, cuius etatem, formam,  
verba, modestiam, mores animum probaret,  
atq; hac ut eximia, præ iisdem, qua in aliis elu-  
cerent: Quid enim exquireret ille genus, cuius  
esset amita filia, idem, quo ipse satus, quiq;  
genus priscum regium Megapolitanorum  
principum memoria teneret? Quid dolcem?  
Eius enim respectum rex habeat, de qua pri-

uati boni viri, homines inopes vix cogitant,  
certe non admodum sunt solliciti? Amavit,  
animosq; caram vnicè habuit. Ac ne quis  
expectet, ut splendorem illius legationis, per  
quam ambierit, & regias litteras vobis me-  
morem. Non poterat illa esse illustrior: neq;  
hæ prudentius exarata aut elegantius, si eti-  
am princeps aliquis orationis eas scripsisset,  
vel aureis litteris. Ipse rex, ipsa regis oratio:  
ille pro centum oratoribus, hæc pro sexcentis  
epistolis. SOPHIAM in matrimonium  
duxit, petiuit. Non enim petiuit antè, quàm  
daretur: sed data fuit, cum peteret. Etenim  
presentem petiuit à presentibus, incluto patre  
VLRICO, duce nostro, & heroina ELISA-  
betha: hi non tam petitionem regis, quàm  
voti sui sententiam audiebant: de SOPHIA  
voluntate, annuisse, dici satis est. Iam qui  
orationem medietur, qua lectorem teneat,  
materiam è regis nuptiis petat: nos relin-  
quimus illa omnium regum solemnia, nemi-  
ni incognita, nisi quis aulam non viderit:  
qui tamen ipse etiam relatu aliorum pene  
singul-

singula acceperit. Ita enim vulgo fit, ut qui  
huius generis nihil viderit, curiosè sciscitetur:  
qui nihil aliud viderit, avidè exponat, pœ-  
neq; plus voluptatis è sua narratione capiat,  
quàm auditor: ut cum hic illi multum debe-  
at, ille huic plus contra debere gratia videat-  
ur. Summum decus nuptiarum, etsi magis  
obuium ceteris, quæ præterimus: notius, in-  
quam, sed quod tum primi oculis & animo  
potissimum spectabant FRIDERICUM II. re-  
gem dico, & SOPHIAM Megapolitanam.  
Hoc primum nuptiarum decus, & unum:  
decus, quod in utroq; verum decus, ut ex-  
positum à nobis antè fuit, etsi non ita splen-  
didis verbis, ut res requirebat, non obscuris  
tamen, ut puto, animum aduertenti: unum  
quod hi nullo vitæ tempore diuellerentur:  
Dicerem præterea, unicum, nisi accessisset &  
alterum: sponsa videlicet, iamq; regina: te-  
stimonio diadema, cum aquari se ab aliis re-  
liquo mundo æquo animo pateretur, & ma-  
ior diademate, ipse rex: regina, inquam, pa-  
rentes, qui sunt regis socer nouus & socrus

K 3

noua:

nova: quod decus nec esse, nec intelligi, absq̄  
filio & genero potest. Principia hīc duo,  
rerum per quā nobilium & perpetuarum  
elementa: matrimonij & arctissima affinita-  
tis. Proximum est, ut de hoc coniugio di-  
cam, neq̄ hoc plane negligendum esse iudico,  
in quo cum multa sint illustria, paucula de-  
cerpemus, quae ita lucent praeteris, ut non  
sint illustriora, & vix etiam his similia.  
Quid enim supra mutuam coniugum bene-  
volentiam? quid deinde coniugij fecundita-  
te optabilius? quod utriq̄ huic bono bonum  
affinitate sincera affinius? Apparet, quot,  
quantaq̄ praeteream, quae numero quidem  
plura, sed nec unum ex omnibus, neque  
coniuncta aliqua, neque ad unum omnia,  
cum his ita paucis, vel cum unoquoque ho-  
rum comparanda. Primum enim quid a-  
more coniugum suavius? quid honestius? di-  
cerem quid utilius? nisi qui hoc audiret, de  
commodo me loqui putaret ita, uti merca-  
tores solent: tamen nihil utilius etiam pu-  
tarim, si quam inutile sit & noxium, quid-  
quid

quid illi aduersum, consideretur. Sed amor  
ille cum in utroq<sup>ue</sup> par & similis, est vicissim  
in similitudine dissimilis, quoniam ita ut ipsi.  
Non minus certè maritus uxorem amat,  
quàm uxor maritum: sed amat aliter, seu  
amorem alio modo significat. Virumq<sup>ue</sup> res  
ipsa edocet. E quibusuis enim bonis coniu-  
gibus exempla petas. Hoc enim perinde est  
inter homines, ut permulta alia: & verum  
tamen, ac diuinum etiam bonum. SOPhia  
tanti se principis filiam & reginam esse scie-  
bat, sed regis esse coniugem sciebat: regi pa-  
rem, quam ipse secum compararet: non qua  
imperium unagereret, quod viri, quod regis:  
sed ipsa regi pareret, non ut regi, sed ut mari-  
to, eumq<sup>ue</sup> obseruaret, ut regem, & ut maritum:  
regem plurimorum populorum, & suum ta-  
men regem, sed maritum maximè suum &  
proprium. Hoc fecit ab initio, quod uniuersa  
Dania loquitur, & vicina gentes uno  
ore: hoc facere, nullum ipsa diem intermisit:  
quod idem facturam, quamdiu huius mor-  
talis uitæ, qua viriq<sup>ue</sup> cum felicitate diuturna  
sit,



fit, & sura fruuntur, nemo omnium dubitat.  
Oblitus hic sum de rege priore loco dicere: sed  
feci, quasi non de praeceptis aliquibus, aut de  
vulgi consuetudine faciendum iudicarem,  
sed de mandato regis. Hic enim id iuberet  
fieri. SOPH lam enim rex maximi facit,  
nec ullam mortaliu[m] cum ea comparat, atq[ue]  
in multis causis, cur eam maxime faciat,  
hanc habet in primis unam, quod se ab ea fieri  
videt maximi, ac, secundum Deum, ita  
coli, ut à nullo omnium aequè coli, prorsus in-  
telligat. Declarat autem rex amorem su-  
um, non tam vultu, aut verbis, aut donis,  
quàm rebus ipsis omnibus. Sed cum signa  
de interioribus nos confirmant, & animus il-  
lis maximè innotescat; unum ex omnibus  
audire, operæ precium est, quod quoniam per-  
petuum, pro certissimo argumento fuerit, ut  
ullum aliud. Dico in quotidiana consue-  
tudine, non intermittentem familiaritatem.  
Ut enim rectius appellem, non habeo, nisi  
simplicitatem in conuictu nomines. Est e-  
nim morum & sermonis simplicitas, ita lo-  
qui,

qui, ita se gerere, ut affectus sis, nihil simu-  
lantem, nihil dissimulantem, nihil aliquo con-  
silio aut opera adijcientem, nihil item demen-  
tem: viri boni & herois virtus siue ratio:  
cadit vero etiam in humillimos, quo in his  
minus fraudulentia & malitia. Hoc pacto  
coniugium colunt probi agricola (ne quis mi-  
hi omni eximio bono carere infimos existi-  
met) & qui ad hos vite ratione proximè  
accedunt, videlicet suavissimè. Quid enim  
hoc sit suavius? Ad hanc suavitatem, si  
quid aliud adijcias, quod vel per se probum  
arbitreris, eam continuo diluas: quo plus, di-  
ruas. Quid melle dulcius? sic est, cum sim-  
plex: adde vel optimi saporis alia, dulcedi-  
nis sentias minus: facile enim fit hac ratio-  
ne, ut corrumpatur. Hoc ago, ut ostendam,  
quod sanus nemo dubitat, inter coniuges sim-  
plicitatem esse ipsam salutem & animam con-  
iugij. Ab hac qui abeunt, bonum unum ex o-  
mnium maximis amittunt, vel contami-  
nant, condimenti aliquid studio adfiscunt,  
ut quod quantumq; mali est, hoc ceu fucolithum

L litum

lum tegant. Sed in re clara, quid verbis o-  
pus est? Ceterum hanc inter ipsos caritatem  
& tempus, ut sit, maturavit, & perfecit  
coniugij fecunditas. Nati enim liberi,  
& utriusq; sexus, & plures, & regie ex-  
pectationis. Hæc spes ne falleret, nec paren-  
tes, nec avum, nec aviam: omnia ab initio  
cogitata factaq; sunt, & sunt, quæ oportet.  
Atq; hic iterum maternam benevolentiam  
& evidentem suam curam ostendit  
avia. Non enim hoc erat contenta, ut  
bene nutrentur & educarentur à prima  
infantia, nisi id ipsum ipsamet faceret.  
Denuo moneo, eiusdem rei inculcatio ne  
gravis sit. Idem enim sæpius dici rectum  
esse iudico, quod semper fieri rectissimum sit,  
nisi eum qui rectè faciat, non toties laude  
sua afficiendum censeamus, quoties ille rectè  
faciat: ut si ab imperatore plura bella sint  
fortiter gesta & feliciter, unius narrationem  
satis esse contendis, ommissis reliquis. Quia,  
si de cura educationis aliquoties diximus,  
hic locus vel maxime eiusdem rei iteratio-  
nem po-

nem postulat. Hoc enim princeps longè opti-  
ma aequè studendum sibi nepotum neptumq;  
educationi tum putauit, quàm olim filia: ac-  
cerditosq; ad se in Megapolim annos aliquot i-  
psa educauit cura maxima, ratione rectissi-  
ma. Idem fieri domi voluit, quod rex ultro  
curasset, & curauit: & quamquam sciebat  
fieri, tamen hoc videre ex intervallo gestis-  
bat. Rex autem cum ceteris liberis hac de  
re prospexit optimè, tum CHRISTIANO  
primo natu, qui ad regnum educetur, cer-  
ta successione spe, quando à proceribus, quo-  
rum auctoritatem ante aperuimus, regni  
princeps, nemine dissentiente, iam designa-  
tus est. Verum de hoc negotio opportuni-  
tatem scribendi aliam habeo, qua quia me  
propediem vsurum esse confido, hic de eo non  
agam pluribus. Vnum mihi de educatio-  
ne in vniuersum libet adscribere: mirum  
videri debere nemini, crebram eius fieri men-  
tionem, cum hac opus sit quotidie in vita, o-  
pusq; tum in omni ciuitate, tum in vnaquaq;  
domo, summè necessarium, quòq; occupentur

L 2

quoti-

quotidie omnes boni viri: nec dubitandum  
censeam, quin, qui huius primi inter morta-  
les operis cura nullam partem afficiatur, neq;  
matris, neque patris, neque principis mu-  
nus intelligat: aut si intelligat, nec offici-  
um faciat tamen, nequissimus ille sit mor-  
alium, & capitalis hostis honestæ & quiete  
hominum societatis. Accessit por-  
ro ad hæc, quæ ex pluribus & eximius hu-  
ius regij coniugij prima bona recensui, hoc  
etiam, quod ex omnium coniunctissimis vo-  
luntatibus natum, mirifica suavitate & con-  
iugum & præcipuè regina parentum, regis  
vero soceri & socrus, vitam condijt. Hæc  
illorum inaudita animorum coniunctio per  
Danium, per Megapolin, perq; vicinas pro-  
uincias celebratur: neq; non eandem ipsi &  
sermone, & crebris congressibus indicant.  
De litteris non dico, quæ certè nullum men-  
sem cessarunt, ac ne plusculos quidem dies;  
sed hæc inter reges ultro citroq; volant: ab illo  
principio annum transisse non puto, quin con-  
uenerint. Quid ibi tum inter eos, nisi omnia  
signa.

signa intima sinceræq; benevolentia, et suavif-  
simi sermonis? In honorum quaq; parte illa  
emicabat suavitas: nec inueniebat amor ido-  
nea nomina adfectus exprimendi. Primum  
enim neq; patri neq; matri augustius ad regi-  
nã, quam filia nomen erat: neq; huic ad illos  
aliud, quam et matris et patris: quibus tamẽ  
nominibus nihil est significantius, etsi apud  
multos non affectum, sed nihil, nisi natura  
effectum indicant, cum utrumque com-  
plecti iure debeant. Regi FRIDERICO so-  
ceri nomen & socrus sacrum erat: sed pa-  
trem illum, hanc matrem quoq; nominabat:  
hoc eos animo erga se affectos statuens, simul  
in eos animum filij gerens. Illi regem nomi-  
nabant filium, quem aequè carissimum, ut ca-  
rissimam eamq; unicam filiam haberent, à  
quo se nativo filij amore diligere coliq; scirent.  
Non dicam enim de mutuis studiis & offi-  
ciis, quorum quæ nota sunt, ordine recenseri  
non possint: pleraq; etiam in privati nullius  
scientiam veniunt. Bona accepistis hæc e-  
nus, quibus nihil esset summis, infimis, opta-  
billus,

bilius : quæ qui adeptus sit , quod iure quaeratur non habet : nisi hoc postulet , quod memini mortalium umquam datum fuit , nec ulli umquam datum iri consentaneum est , ut nulla videlicet calamitate contaminentur , & occasum nullum habeant , quorum aliquando ortus exstitit . Proinde omnes homines , à quo tempore primum sapere incipiunt , parare se debent , & ad res secundas moderate ferendas , & aduersas fortiter ferendas , et ad abitum è vita , quo nihil vulgi opinioni acerbius . Sapientes enim cum multa in vita acerbiora intelligant , & esse sentiant , mitius aliquando sentiunt , & mortem sic abhorrent , ut debitum nature persoluendum animo pacato statuunt , & huc se cum primis parent , quantumq; possunt accommodent . Hoc studium Elisabetham neq; à primis annis neglexisse , quadam superiora confirmant : sed magis superioris anni calamitas , & ultimus eius vita actus , ut intelligetur . Annus enim est , neque multo amplius , cum accepit è Misnia , optimam  
princi-

principem ANNAM ducis Augusti, septem-  
uiri Saxonici, coniugem, sororem FRIDERICI  
regis, diem suam obiisse. Hoc tam tristi in-  
speratoq; nuntio grauius animo conturba-  
tam fuisse, quid mirum? Amiserat enim ex  
amicis & consanguineis omnium carissi-  
mam, quam sincere, ut amita pro filia habe-  
bat, pro sorore, ut pæne aequalem. Itaq; et a-  
mariorem vitam egisse, et sua quoque vita  
metam oculis animoq; euidentius, quam  
ante proprosiisse, credita fuit: cuius intuitu  
fortissimum quemq; & paratissimum mo-  
ueri, alios alius grauius, nemo negauerit, præ-  
ter eos, qui homines, at frustra tamen, cau-  
tes esse, vel deos iubent. Collegit tamen ipsa se,  
& ex hoc casu, & ex altero. Quarto enim  
mense post ipsemet VILHUR Augustus, qua-  
si coniugis legens vestigia, decessit. Ac visa  
tamen deinceps tristior, non minus alacri  
animo pietatis & virtutis spaciū confe-  
cit, & migrationis huius è mortalitate co-  
gitationem non deposuit: quam quemq; in  
conspectu habere, saluti esse prudentes statu-  
unt.



unt. Neq<sup>3</sup> vero hoc pacto omnis tollitur hilaritas, sed moderatio fruitionis rerum inducitur, & acrius studium semper gerendi ea, quae officij sint, & digna homine, pro sua cuiq<sup>3</sup> conditione. Igitur & ipsa in officij regionumq<sup>3</sup> consiliorum et actionum cursu perseueravit. Inueteratam autem sanctamq<sup>3</sup> sollicitudinem, neq<sup>3</sup> dimitendam censuit, de nobilissimorum ex filia liberum educatione, quam tamen rex ipse pater & regina mater rectissime instituisent, & perpetuo urgerent. Hoc ipsa & nouerat, & gaudebat, & libenter iuuabat, & valde probabat, & cum animi latitia contemplabatur. Putarim, neq<sup>3</sup> dubium sanè, ut hoc opus & germinantem indolem nepotum neptiumq<sup>3</sup> cerneret, cupidius & sapius transmisisse in Daniã. Nec inuitus eodem ibat ex interuallo princeps optimus VLRICUS, tum hac de causa, tum ut de maximis rebus socer & gener consilium caperent: sed quoties iret, & desiderio coniugis, à qua obseruantissime coleretur, & filia generiq<sup>3</sup> petitioni morem gerendum censuit.

Nam

Namque etsi tranquilla erant domi omnia,  
nec deerant explorata fidei viri principes: ta-  
men ipse malebat (suum namq; officium mi-  
nus, quam seipsum obliuiscitur) pro salute  
publica dies noctesq; presens excubare, &  
collocatus in puppi clauum tenere: nec lon-  
gius, nisi voce excitatus imperij, abire con-  
suevit, nec abesse vero diutius. Traiecit au-  
tem cum coniuge, & aliquoties ante, & pau-  
cis ante mensibus, lectissimum secum ducens  
comitatum, in quo lucebat etiam iuuenis SI-  
GLISMUNDUS AVGUSTUS, princeps Megapo-  
litanus, ducis IO Annis frater, utriq; prin-  
cipi ita carus ut filius, quos ut parentes ipse  
veneraretur: traiecit amoenissimo anni  
tempore, ridente mari, vento secundo: vene-  
runt expectati regi, regina, omnibus: exce-  
pti regie, hilaritas in omnibus, quanta visa  
umquam antea: nullus, ut fit, sine conuiuio  
dies: inuitarunt se quoq; liberalius, more  
nostrarum gentium: si quis quærat, quid hoc  
ego laudem; referre me, respondeo: quid e-  
nim aliud, quam quod res est? morem ta-

M

men

men eiusmodi, quem politissima omnium gen-  
tium frequentavit: neq; hoc probandum, sed  
habet tamen vinum, quod animi lapis Lydi-  
us: quem animum explorasse, aliorum inter-  
est: & conuiuium, et in hoc vinum, nisi mo-  
dum migrent, humanitati consentanea, nec i-  
nimica virtuti: accedat sermo, liber, elegans,  
musica erudita, amicitia ibi & humanitatis  
usum dixeris. Neutrum vero defuit: quin  
ambulationes fuerunt interiecta, varia lu-  
dorum genera, venationes, & si qua condi-  
menta alia possent excogitari. Magnam eti-  
am voluptatem accepit, opt. ELisabetha, non  
sane ex illis, sed ex filia & nepotibus. Leta-  
batur enim filiam florere: nepotes valere,  
bene educari, posteritatem deniq; auream  
polliceri. Reliquam latitiam semper habebat  
suspectam: quin eam saepe audita fuit eti-  
am gemens optare, siue interpellatione tri-  
stia & magni doloris praterire: siue quid  
aliud metuebat, siue sibi, quod secutum  
fuit, praesagebat. Ipse dux optimus VL-  
RICVS, de suis sollicitus, etsi nuncios ha-  
bebat

bebat quotidie, nisi venti refrarent sauius,  
ad nauem tamen suam quotidie respicie-  
bat: rex plusculos dies mira suauitate be-  
neuolentia socerum tenebat, atque hoc faci-  
lius, quod socrus non admodum reluctaba-  
tur, quod agre à filia nepotibusq; auelleretur:  
quin aliquoties clara voce dixit, incertum  
esse, quando se iterum viderent: quod ver-  
bum, etsi ita loqui sapius solemus, tamen ob-  
seruatum fuit, & ab aliquibus exceptum pro  
omine. Cum fere mensem unà uno loco fu-  
issent, neque dux in publicam curam toto a-  
nimo defixus, iam teneri diutius se non debe-  
re ostenderet; cedendum soceri voluntati  
et rationi, rex opinatus, magnifico apparatu  
hospites tantos, tam gratos, è regia dimittit.  
Sed prius nepotes neptesq; ordine unusquisq;  
breui compellatione ad imos gradus regieq;  
vestibulum auo auieq; gratias agunt, ipsisq;  
fausta precantur omnia, manus abeuntium  
premunt, amplexos amplectuntur, arrident,  
lacrumant. Animo ibi commotus auus, prin-  
ceps grauisimus, vultus prater amorē pater-

num nihil significat: auia non penitus moe-  
sta, sed cum affectione materna tamen, o-  
mnibus etiam signis indicata, discedit. Ita  
rex, cui regina ad latus, socerum & socrum  
è regia deducit: in Falstriam usq; plurium  
dierum itinere, inq; ipsum portum Gissæri-  
um, qui Germania proximus est, nondum  
L. M. P. distans à Varni ostio, in quod  
vento secundo pauculis horis tuto transmit-  
titur. Nihil igitur restabat, nisi ut, consalu-  
tatione facta, nauem conscenderent, ut pri-  
mum boreas vel halitu iuuaret: frustra ex-  
spectatur dies aliquot, & ab illis in portu,  
& cis mare à nobis. Quantum illic sol-  
uendi desiderium fuerit, hinc licet existima-  
re, cum apud nos expectatio principum re-  
ditus tanta fuerit. Prodibamus ad auro-  
ram quotidie, visum, quem ventum vela  
minuta in summis malis nauium in ripa vi-  
cini fluij, aut alæ in fastigijs adium, aut in  
excelsis turribus nutu suo Tritones nuncia-  
rent. Nusquam ille modo optatus, totos alio-  
quin annos nostro littori grauiter infestus  
bore-

boreas : auster plerumque, recta feriens lit-  
tus aduersa Dania. Cum quanta ibi  
molestia alieno loco sederint, non facile ex-  
plicarim, nec quis suspicetur, nisi qui vento-  
rum imperio atq; violentia aliquando subie-  
ctum se fuisse, etiamnum stomachatur. Illis  
ipsis diebus dux Holsatia ADOLPHUS, prin-  
cipalis ELISABETHA frater, in grauem morbum  
incidit, & Kal. Octob. diem obiit. De  
ADOLPHI praestantia & rebus gestis scribe-  
re, noui solidiq; laboris est. Postridie Kal.  
ad quem diximus portum, tentata fuit non  
leuiter ipsa quoq; ELISABETHA valetudo, fe-  
bricula, ut censuerunt medici. Hac cum  
se non solito more incalescere sentiret; ab eo  
momento, statim nuncium remisit omnibus  
actionibus, & consiliis, quae ad caduca vita-  
rerum procurationem pertinerent, nec ver-  
bo aut nutu aliquam ullius rei mentionem, quae  
non respiceret abitus meditationem ad cale-  
stem patriam, fecit. Namq; & cogitauit a-  
pud animum tantum sacras promissiones, &  
eas ipsa pronunciauit, & sibi recitari iussit,

M 3

qua-

rum multas non solum memoria, sed etiam  
verbis suis anteuertit. Hoc agens sine querela  
ipso die noctesq; quatuordecim, in amplexu  
mariti, filia, generi, supremum diem mortalis  
vita, placidissimum egit et beatissimum, qua  
beata ipsius anima, soluta compage corporis,  
se primum consuetudini caelorum immiscuit.  
Hoc cogitantes, et tantum non oculis intuen-  
tes, in maximo absentis desiderio, et dolore a-  
missionis, ut videtur, optatissima et carissima  
coniugis, matris, socrus, luctum ipsi lenire  
tum ceperunt, et inter se consolari: et contule-  
runt, conferuntq; satis bona medicina, quibus  
hoc cura est, et ad eorum aures animosq; adi-  
tus patet. Huius porro pura sancta q; anima  
exuias conditum in commune monumentum  
maestissimus, idemq; fortissimus dux, indi-  
cante fauorem borea, sed non admodum be-  
neuolo tamen, peruersitate suam parum miti-  
gante noto, reuexit in Megapolin. Cum enim  
sexto postq; decessisset die, prima luce bona  
cum spe transmissionis mare fuissent ingressi,  
et aliquousq; progressi, ibi etiam interdum, pon-  
to nox

to nox incubat atra: venti, quos dixi contra-  
rij, triremem regiam, firmam et remigibus,  
ceterisque rebus optimè instructam, in mari  
hinc inde vicissim iactant, totum illum diem,  
totam insequentē noctem, qua neque luna ap-  
pareret, etsi non longè abesset, neque stella se o-  
stenderet. Dubium est, mærorne incredibilis,  
an discrimen nouum, in quo omnibus mors ob  
oculos, cum neque gubernator peritissimus, ubi  
essent, suspicari posset, & verbis plus spei o-  
stenderet, quàm animo concipisset, magis opt.  
ducem exercuerit. Neque tamen hic ani-  
mum abiicit, & diuinitus presto omnibus  
fuit salus. Postridie enim etiā antè  
quam illuxisset, nauis ex ostio Varni, peri-  
tissimi, & pane semper cum temeritate auda-  
ces, mandatu Senatus Rostichiensium, qui ad  
litus plurimos dies exspectauerat, cum nauis  
minoribus, obuiam nauis mittuntur: nul-  
lam initio in conspectu nauis vident: pluri-  
bus horis sinus maris perscrutantur: tandem  
aduolant, ipsi quoque in magno periculo: quod  
neque non et ipsi metuebant, etsi Neptunū, vi  
fami-



familiariores, non facile metuunt: imponunt suis actuarijs, primum defunctæ, iamq; citra controuersiam inter sanctas matronas numerandæ corpus: ipsos deinde duces, fessos corporibus, animis non abiectos, etsi debilitatos: denique comitatum, ipsum quoq; luctu tanto iacentem propemodum. Hi nauæ laboriosi & fidi, postridie vix ad meridiem, in ostium Varni omnes omniaq; tuto sistunt, nec sine premio, premium etiam & gratiam promeriti. Inde facta deductio per Cycneam ad riuum Neuelam Gustroium, ubi quamprimum regio more funus fieret. Atq; finem hic ego scribendi faciam, perfunctus tanto hoc laudationis munere: quo forsân aliquibus satisfeci, mihi sanè minus, rei vero magnitudinè.

F I N I S.



0.  
2,  
3-  
4-  
5,  
n  
1.  
d  
k  
n  
o  
r-  
-

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or heading.

Main body of handwritten text, consisting of several lines of script.

2

2091. a